

defecerit, non sequitur, Ecclesiam quoque defecisse, aut defecturam esse. Imo contrarium, ut supra ostendi.

Quarta obiectio.

90. Quarto sic obijciunt : Ecclesia comparatur Lunæ, ut patet ex Scriptura & Patribus : At Luna aliquando deficit : Ergo etiam Ecclesia aliquando deficit. Respondeo. Hic iterum apparet, qui hoc obijciunt, degeneres esse filios Ecclesiæ. Habent clara & aperta testimonia pro innocentia & integritate lux Matris, ut iam ostensum est. Cur sine causa querunt occasionem calumniandi ? Cur, quæ à Scriptura & Patribus optimo sensu dicta sunt, sinistram interpretantur ? Esto sane : Ecclesia sit similis Lunæ. Sed in quo illi similis est ? An in eo, quod sicut Luna saepe deficit, sic etiam Ecclesia saepe deficiat ? Hoc dicunt, qui oderunt Ecclesiam. In quo ergo ? In his potissimum.

91. Primo, Sicut Luna in principio mensis exigua est ac deinde paulatim crescit, donec plena & perfecta sit: ita Ecclesia, in principio sui ortus, exiguum terræ locum occupabat, ac postea ita crevit, ut tandem toto terrarum orbe diffundetur. Sic Augustinus in Psalm. 103. circa illum versiculum, *Fecit Lunam in tempora*, cum ait : *Intelligimus spiritualiter Ecclesiam crescentem de minimo, &c. Quando obscura erat Ecclesia? quando nondum apparebat, &c. modo, quam cæcus est, qui plena Luna errat?*

92. Secundo, Sicut Luna accipit lumen corporale à sole : ita Ecclesia accipit lumen fidei ac sanctitatis à Christo. Sic idem Augustinus in Psalm. 10. *Luna, inquit, intelligitur Ecclesia, quod suum lumen non habeat, sed ab unigenito Dei Filio, qui multis locis in*

sanctis Scripturis allegorice Sol appellatus est, illustratur. Et Philo Episcopus Carpathius in Cantica Cantorum. Luna comparatur Ecclesia, propterea quod quidquid habet diutini luminis, id à iustitiae Sole illo immobili atque diuino accipit.

93. Tertio, Sicut Luna mutationi obnoxia est; ita etiam Ecclesia in hac vita. Nam aliquando fruitur pace, aliquando patitur persecutiones: Nunquam tamen deficit. Sic Ambrosius lib. 4. Hexameron cap. 2. *Ecclesia, inquit, tempora sua habet persecutionis & pacis. Nam videtur sicut Luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest.*

94. In his ergo consistit similitudo inter Lunam & Ecclesiam; non item in defectione. Nam Ecclesia nunquam deficit in fide: semper firma, stabilis ac immobilis est. Et ex hac parte, non Lunam, sed terram imitatur, iuxta illud, quod superius ex Gregorio Magno adduxi: *Ecclesia dicta est terra, quia in soliditate fidei, perpetua firmitate immobiliter perseverat.*

95. Miror vero aduersarios, cur hanc vnam similitudinem allegent in præiudicium Ecclesiæ, cum sint multæ alia, quæ in fauorem & commendationem illius allegari poterant. Nam in Scripturis & Patribus, Ecclesia non solum Luna per allegoriam vocata est, sed etiam Sol, hortus conclusus, fons signatus, parvulus, columba speciosa, ciuitas Dei, terra viuentium, mulier amicta sole, Regina in vestitu deaurato. Quæ omnia honorifica sunt. Si essent veri Ecclesiæ filii, merito hos titulos suæ Matri tribuerent, & ab omni calumniandi studio abstinerent. Nunc quia secus faciunt, inter eos computari debent, de quibus scriptum est, *Filios enutriui: ipsi autem spreuerunt me,* (Isaiæ 1. 2.)

QVINTA CONCLVSIO.

Cum Ecclesia Christi, ut haclenus ostensum est, non possit deficere vel errare in fide, propter peculiarem Spiritus sancti assistentiam, quam Christus illi promisit; magna omnium debet esse eius authoritas in negotio fidei ac religionis.

96. **H**AUC authoritatem s^epe commendat August. vt lib. contra epistolam Manichaei, c. 5. cum ait: *Ego vero Euangeli^o non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoueret authoritas.* Et lib. de vtilitate credendi ad Honorat. c. 17. Cum igitur tantum auxiliu Dei, tantum profectum fructumq^z, videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hereticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summa profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantia. Notent hoc aduersarij.

97. Porro in hac Ecclesiæ authoritate fundatur communis hæc regula, quam Catholici perpetuo vrgent: *Nemo potest errare in fide & religione, qui sentit, quod tota Ecclesia sentit.* Vel quod idem est: *Vnusquisque tuto ac secure potest id amplecti aut respuere, quod tota Ecclesia amplectitur aut respuuit.* Hanc regulam vbiique tenuit Augustinus, & ex ea definiuit hæc puncta. Primo, Orandum esse pro mortuis. Lib. de cura pro mortuis, cap. 1. *In Machabaorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium.* Sed, et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parua tamen est uniuersa Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas: *vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domin*

mino Deo ad eius altare funduntur , locum suum habet etiam commendatio mortuorum.

98. Secundo paruulos esse baptizandos. Epist. 28. ad Hieronymum: *Quisquis dixerit quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramento eius participatione de vita exeunt, hic profecto totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, alias in Christo viuificare non posse.* Et lib. 10 de Genesi ad litteram cap. 23. *Consuetudo Matris Ecclesia in baptizandis paruulis nequam spernenda est.*

99. Tertio paruulis prodesse fidem eorum, à quibus ad Baptismum offeruntur. Lib. 3. de libro arb. cap. 23. *Etiam illud perscrutari homines solent, Sacramentum baptismi Christi quid paruulis profit, cum eo accepto plerumque moriantur, priusquam ex eo quicquam cognoscere potuerunt. Quia in re satis pie recteque creditur, prodesse paruulo eorum fidem, à quibus consecrandus offertur. Et hoc Ecclesia commendat saluberrima authoritas, &c.*

100. Quarto, hæreticos non esse rebaptizandos. Lib. 1. contra Cresconium Grammaticum, cap. 33. *Quamvis huius rei certe de Scripturis canonicis non profertur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re tenetur veritas, cum hoc facimus, quod uniuersitate placuit Ecclesia, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas; ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.*

101. Quinto, Librum Matthæi Euangelistæ canonicum esse, non Librum Manichæi, qui illi contrarius est. Lib. 28. contra Faustum cap. 2. *Cum ergo necesse sit, alterum horum librorum esse mendacem, cui nos potius*

potius censes fidem accommodare debere? Eine, quem Ecclesia ab ipso Christo inchoata, & per Apostolos prouecta, certa successionis serie usque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditum & conseruatū agnoscit atque approbat? an ei, quem eadem Ecclesia incognitum reprobatur? Et generatim, illos libros esse canonicos, quos habemus in canone. Serm. 191. de tempore: Nouum & vetus Testamentum recipimus in illo librorum numero, quem sanctæ Ecclesiæ Catholice tradit authoritas.

102. Sexto, hæreticis & schismaticis non esse præcisam spem salutis, si resipiscant. Libro inchoatae expositionis epistolæ ad Romanos post medium: *Ipsa denique Catholica Ecclesia tam insignis authoritas, quæ in eodem dono Spiritus sancti, omnium Sanctorum mater toto fœcunda orbe diffunditur, cui unquam hæretico vel schismatico spem liberationis, si se corrigat, amputauit?* Cui placandi Dei aditum clausit? Nónne omnes ad ubera sua, qui eam superbo fastidio reliquerunt, cum lacrymis reuocat?

103. Denique, ut vno verbo dicam, in omnibus sequendum esse iudicium Ecclesiæ. Epist. 118. ad Ianuarium, cap. 5. *Ad hæc ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si diuinæ Scripturæ præscribit authoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus: ut iam non quomodo faciendum, sed quomodo Sacramentum intelligendum sit, disputationem. Similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequentet Ecclesia. Nam & hinc, quin ita faciendum sit, disputationem, insolentissima insanie est.*

104. Hæc Augustinus. Nos cum Augustino eandem regulam amplectimur. Et ex ea speciatim deducimus, eos non errare, qui defendunt Purgatorium, sacrificium Missæ, invocationem Sanctorum, Exorcismum, & similia, quæ consensu totius Ecclesiæ recepta sunt. Aduersarij, si hanc regulam respunnt,

nihil certi habere possunt in rebus fidei, ut quæst. 3.
concl. fusius explicabo.

II. QVÆSTIO.

De Ecclesia Romana.

INITIO PRÆCEDENTIS QUÆSTIONIS FORMAUI HUNC SYLLOGISMUM CONTRA ADUERSARIOS: Vera Christi Ecclesia non potest deficere vel errare in fide: At Ecclesia Romana seu Pontificia, primis quingentis annis fuit vera Christi Ecclesia: Ergo non potuit deficere vel errare in fide. Manet ergo vera Christi Ecclesia, ut olim fuit. Maior propositio haec tenus probata est. Minorem concedunt aduersarij. Quæ tamen hoc loco, præmissa distinctione, explicanda est. Nam Romana Ecclesia dupliciter sumi potest. Primo, pro illa sola Ecclesia particulari, quæ olim Romæ fuit, & nunc est. Secundo, pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi, adhærebant olim Romano Pontifici, & nunc etiam adhærent. Et hoc posteriori sensu habet varia nomina. 1. dieitur Catholica seu vniuersalis, quia toto orbe diffusa. 2. Pontificia, quia Pontifici subiecta. 3. Romana, à nobiliori sui parte. Hoc posito, subiiciam aliquot conclusiones, quibus res tota breuiter explicabitur.

PRIMA

PRIMA CONCLV SIO.

Romana Ecclesia priori modo sumpta, quatenus significat particularem Ecclesiam, quæ Romæ est, fuit olim mater & caput omnium aliarum Ecclesiarum, quæ toto orbe erant dispersæ: Et omnes aliæ, nisi errare vellent, debebant se illi conformare in fide, & religione.

1. **P**riorem partem huius conclusionis expressè tradit Athanasius in epist. ad Marcum Papam, his verbis: *Nunc ergo, quia præfata septuaginta Nicæni Concilij Capitula ab Arianis sunt igne combuſta; optamus, ut à vestræ sanctæ sedis Ecclesiæ autoritate, quæ est mater & caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum, percipere per præsentes Legatos mereamur.*

2. Et Cyprianus lib. 4. epist. 8. quæ est ad Cornelium Papam: *Nos enim singulis nauigantibus, ne cum scandalo nauigarent, rationem reddidisse nos scimus, & hortatos esse, ut Ecclesiæ Catholice matricem & radicem agnoscerent ac tenerent. Et S. Bernardus epist. 131. ad Mediolanenses: Romana Ecclesia valde clemens est, sed nihilominus potens, &c. Plenitudo siquidem potestatis super uniuersas orbis Ecclesias, singulari prærogatiua, Apostolica sedi donata est. Idem fatetur Caluinus lib. 4. Instit. cap. 7. §. 24. cùm ait: *Fuerit sanè olim Roma omnium Ecclesiarum mater: verum ex quo Antichristi sedes fieri cœpit, desiit esse, quod erat.**

3. Posteriorem tradit Irenæus lib. 3. contra hæreses, cap. 3. vbi rationem reddens, cur potius describat successionem Episcoporum Ecclesiæ Romanæ, quam aliarum Ecclesiarum particulariū, sic habet: *Ad hanc*

H h 5 enim

enim Ecclesiam, propter potentioresem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio.

4. Et D. Hieronymus epist. 8. ad Demetriadem, cap. 9. Illud te pio charitatis affectu premonendam puto, ut sancti Innocentij, qui Apostolice cathedra successor est, teneas fidem: nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias. Et epist. 57. ad Damasum Papam: Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collitus, indiscessam Domini tunicam, & de super textam, minutatim per frusta discerpit; & Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: ideo mihi cathedralm Petri, & fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam, inde nunc mee anima postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. Et infra ibidem: Ego beatitudini tuae, id est, cathedrali Petri, communione consocior: super illam petram edificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comedenter, profanus est: si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio, &c. Quicunque tecum non colligit, spargit.

5. Et S. Augustinus epist. 162. ad Episcopos Donatistarum de Cæciliiano Episcopo: Erat magna auctoritatis, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret Romana Ecclesia, in qua semper Apostolice cathedra viguit principatus, per communicatorias litteras esse coniunctum. Et Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum: Negare non potes scire te, in urbe Roma primam cathedralm Episcopalem Petro collatam esse, cum qua totus orbis in una communio-
nis societate concordat.

I I. C O N C L V S I O .

Romana Ecclesia posteriori modo sumpta, quatenus significat uniuersalem Ecclesiam Christianorum, toto orbe diffusam, fuit olim S. Petro commissa, his verbis, Pasce oves meas. Itaque Petrus fuit Vicarius Christi, Caput, Pastor & Rector totius Ecclesiae Catholicae: cui postea cum pari potestate successerunt Pontifices Romani.

6. Prior pars de Petro, asseritur passim à Patribus, tam Græcis, quam Latinis. Quorum aliqui expresse illum vocant *Vicarium Christi*, ut Anselmus ad cap. 16. Math. Alij expresse *Caput Ecclesie*, vi Hieronymus in Psalm. 13. & Philo Carpathius in Cantica. Alij *Uniuersalis Ecclesie Papam*, ut Athanasius in Epistola ad Marcum. Alij *Caput fidelium & Pastorem regis dominici*, ut Augustin. in lib. Quæst. veteris ac noui Testamenti, q. 75. Alij aliis verbis eandem rem explicant, ut idem August. tract. 124. in Euangelium Ioannis: *Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita æruminosa: cuius Ecclesiae Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui Primum, gerebat figurata generalitate personam.* Et Maximus Taurinensis hom. 3. in Natali Apostolorum Petri & Pauli: *Quanti igitur meriti apud Deum suum Petrus erat, ut ei post nauiculae paruae remigium, totius Ecclesiae gubernacula traderentur?* Et D. Chrysost. hom. 80. ad populum Antiochenum: *Petro per totum terrarum orbem Ecclesiæ præsidentiam tradidit.* Et Gregorius Magnus lib. 4. Epist. 32. ad Mauritium Augustum: *Cunctis Euangeliū scientibus liquet, quod voce Dominica, omnium*

Apo

Apostolorum Principi Petro Apostolo totius Ecclesiae curia commissa est. Ipsi quippe dicitur, Pasce oves meas. Similia habent alij.

7. Posterior pars, de Pontifice, successore Petri, æquè certa est apud Patres. De qua Optatus lib. 2. contra Parmenianum sic scribit: *Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus. &c.* Et Augustinus epist. 165. ad Generosum: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus.*

8. Et Philippus Presbyter in Concilio Ephesino, tomo 2. cap. 16. Nulli dubium, imo seculis omnibus notum est, *S. Petrum Apostolorum Principem & caput, Ecclesiae Catholicae fundamentum, per successores suos hucusque semper viuere, causasque decernere, semperque victorum esse.* Huius itaque ordinarius successor Papa Celestinus, nos ad hanc Synodum misit.

9. Et, ut alios omittam, D. Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium Papam, cap. 8. *Age, indagemus adhuc diligentius, qui sis, quam personam geras in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex, Princeps Episcoporum, heres Apostolorum, Primate Abel, gubernatu Noë, dignitate Aaron, potestate Petrus. Tu es, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alij gregum Pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius præ ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi uniuersi crediti sunt. Nec modo onium, sed & Pastorū tu unus omniū Pastor.*

10. Ex dictis patet, quare sancti Patres, qui scribunt

bunt successionem Episcoporum Ecclesiæ, non alterius ferè, quam Romanæ Ecclesiæ Episcopos recentant. Nimirum duas ob causas, quas hactenus explicauit, id faciunt. Primo, quia Ecclesia Romana est Mater aliarum Ecclesiarum. Secundo, quia quicunque est Episcopus Ecclesiæ Romanæ, simul est Episcopus vniuersalis Ecclesiæ, quæ toto orbe diffusa est. Omnes vbiique oves, omnes ouium Pastores illi commis- si sunt. Porro Patres, qui scribunt successionem Pontificum Romanorum, quisque ad sua usque tempora, sunt potissimum hi: Irenæus lib. 3. contra hæreses, c. 3. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, Aug. epist. 165. ad Generosum, Epiphanius hæresi 27. Eusebius Cæsareensis in historia & chronicō.

III. CONCLUSIO.

*Hæc Romana, Pontificia, Catholica seu vniuersal-
lis Ecclesia, toto orbe diffusa, quam dixi Petro
& successoribus eius fuisse commissam, nun-
quam defecit ab ea fide, quam primis quingen-
tis annis publice professa est: ac proinde sicut
tunc erat vera Christi Ecclesia, ita & nunc est.*

ii. **H**æc conclusio manifeste sequitur ex dictis,
hoc modo: Vera Christi Ecclesia non potest
deficere vel errare in fide, ut quæst. 1. concl. 4. variis
argumentis ac testimonij probatum est. At Ecclesia
Romana, Pontificia, Catholica seu vniuersalis, fuit
aliquando vera Christi Ecclesia, quod non negant
aduersarij: Ergo non potuit deficere vel errare in
fide,

fide. Manet igitur adhuc vera Christi Ecclesia.

12. Ad maiorem huius doctrinæ confirmationem, tria quero ab aduersarijs, qui dicunt eam defecisse. Primo, quo tempore defecerit? Secundo, cum sint multi articuli fidei, in quo vel quib. articulis defecerit? Tertio, an post defectionem Ecclesia Romana & Catholicæ, fuerit aliqua alia visibilis Ecclesia in terris, an nulla? Ad hæc tria paucis velim mihi responderi ab ijs, qui defectionem obijciunt.

13. Sit ergo prima quæstio, quo tempore Ecclesia Romana seu Catholicæ defecerit à vera fide? Hic prope quot capita, tot responsa. Alii qui conantur certum defectionis tempus definire: alij fatentur se id ignorare. Rursum, priores illi in varias sectas distracti sunt. Nam aliqui volunt defectionem contigisse tempore Gregorij Magni, circa annum Christi sexcentesimum, ut David Chyträus in cap. 9. Apocalypsis. Alij, tempore Phocæ Imperatoris, anno Christi 606. ut Lutherus in suppuratione temporum, & Raphaël Eglinus in duplice Elencho. Alij, tempore Pipini Regis, anno 763. ut Henricus Bullingerus præfatione in Apocalypsin. Alij, post tempora S. Bernardi, circa annum 1200. ut Wolfgangus Musculus in Locis, titulo, De Ecclesia. Alij alius tempus definiunt, quisque pro suo capite. Videntur boni isti viri similes esse senibus, qui Susannam de patrato adulterio accusabant. Nam rogati à Daniele de loco flagitijs, unus hoc, alius alio loco patratum esse comminiscebatur. Plane sic faciunt nostri aduersarij. Accusant Ecclesiam de Apostasia. Rogati de tempore, alius sub Gregorio Pontifice, alius sub Phoca Imperatore, alius sub Pipino Rege, alius sub alio factam esse contendit. Et non sunt convenientia eorum testimonia, Marc. 14.55.

14. Postiores vero, qui fatentur se ignorare tempus defectionis, non minus inter se dissentunt. Nam aliqui obtendunt defuisse Scriptores, qui defectionis initium notarent. Alij, fuisse quidem viros pios ac doctos, qui facere id potuissent, sed non fecisse propter grauissimam temporis illius persecutionem. Alij, defectionem fuisse latentem & occultam, quæ notari non potuerit. Alij denique, non magnopere laborandum esse de tempore, cum de re ipsa cōstet. Quid enim, inquiunt, necesse est curiose scrutari tempus defectionis cum ex euentu manifestum sit, defectionem iam factam esse? Aut quid prodest indagare, quo momento pestem contraxeris, si sentias cum ipsa morte te conflictari?

25. Quidam ex recentioribus Lutheranis, Albertus Gravverus, Professor Ienensis, in Disputatione de Antichristo, §. 139. & sequentibus, conatur has dissensiones suorum hominum inter se conciliare. Et quidem ex dupli fundamento. Vnu est, quasdam mutationes fieri cum aliquo tumultu, vel publica vi aut solennitate; Et harum tempus facile observari ac demonstrari posse. Alias occulte, & hominibus non aduertentibus, quarum tempus notari non possit: Et talem fuisse defectionem Ecclesię Romanę à fide. Alterum est, hanc defectionem non uno tempore factam esse in omnibus fidei articulis, in quibus facta est, sed successione, & per temporum interualla; ita ut sub uno Pontifice facta sit in uno articulo, sub alio Pontifice in alio articulo, & sic deinceps. Ex priori infert, non mirum esse, si aliqui dicant se ignorare tempus defectionis, cum occulte facta sit, nemine aduertente. Ex posteriori, non dissentire eos, qui definiunt diuersa defectionis tempora, cum sint

sint diuersi articuli, in quibus defectio diuersis temporibus facta est. Ab uno igitur definiri tempus, quo in hoc articulo; ab alio, quo in illo; à tertio, quo in isto defectio facta est. Itaque nullam esse inter illos dissensionem.

16. Sed, ut verum fatear, hic author, dum vult aliorum dissensiones componere, secum ipse dissentit. Nam prius ipsius fundamentum repugnat posteriori. Si enim defectio occulte facta est, nullo hominum aduertente, vnde ipsi constat, non uno tempore, sed successiuè factam esse? Vnde constat, sub hoc Pontifice factam esse in hoc articulo, & sub alio in isto: Vnde constat, eos non errare, qui diuersa defectionis tempora definiunt: *Quis hæc omnia, si occulte facta sunt, ipsi manifestauit?* Dicit fortasse, occulte quidem facta esse, sed postea ex ipso euentu manifeste fuisse deprehensa. Non secus, quam si aliqui in tenebris infligantur aliquot vulnera, & interdiu deprehendatur vulneratus esse. At hoc ipso exemplo refelli potest. Tametsi enim de eo, qui noctu vulneratus est, interdiu affirmare possis, vulneratum esse; non tamen, nisi temere affirmaueris, per interualla vulneratum esse, & hora prima noctis accepisse unum vulnus à Petro, & hora secunda alterum à Paulo, & tertia tertium à Michaële. Idem est in proposito. Demus aduersario, quod non damus, Ecclesiam Catholicam varijs erroribus occulte vulneratam esse: demus errores illos patefactos iam esse. At vnde constat, non uno tempore, sed successiuè errores illos irreplisse? Vnde constat, unum sub Gregorio Papa, alterum sub Phoca Imperatore, tertium sub Pipino, quartum post tempora Bernardi ortum esse? Aut, si hæc omnia constant, quomodo

modo occulte, & nemine aduertente facta sunt? Hic non euadet Gravverus

17. Hæc de prima quæstione. Altera est, in quo vel quibus fidei articulis defecerit Ecclesia Romana, Caluinus lib. 4. inst. cap. 7. §. 27. ait in tribus defeciss., nempe afferendo, nullum esse Deum, nullum Christum, nullam resurrectionem aut vitam æternam. Verba Caluini sunt hæc: *Quasi vero dubium sit, qualem religionem professi sint iampridem Pontifices cum toto Cardinalium Collegio & hodie profiteantur. Primum enim arcana illius Theologia, quæ inter eos regnat, caput est, nullum esse Deum. Alterum, quacumque de Christo scripta sunt ac docentur, mendacia esse & imposturas. Tertium, doctrinam de vita futura & ultima resurrectione, meras esse fabulas. Iampridem haec ordinaria capit esse Pontificum religio.* Sed hoc Caluini medacium tam crassum est, ut non egeat refutatione.

18.. Alij ergo, qui modestiores sunt, putant Ecclesiam nostram defecisse in his articulis. 1. de Purgatorio. 2. de Invocatione Sanctorum. 3. de Sacrificio Missæ 4. de Træsubstaniatione. 5. de libero arbitrio. 6. de merito bonorum operum. 7. de Traditionibus. Et si quæ similia sunt. Igitur ex eorum sententia sic ratiocinandum est: *Quicumque admittit Purgatorium & reliqua iam enumerata, deficit à fide: At Ecclesia Romana iampridem admisit ista omnia: Ergo iampridem defecit à fide. Sed, quid si reponam similem syllogismum hoc modo? Quicumque negat Purgatorium & reliqua iam enumerata, deficit à fide: Aduersarij iampridem negarunt hæc omnia: Ergo iampridem defecerunt à fide. Minor propositio utriusque syllogismi, vtrinque conceditur. In maiori tota controuersia est. Illi nostram; nos illorum fal-*

sam esse contendimus. Vtri rectius? Hic iudice opus est. Et quidem, si antiqui Patres pro Iudice admittantur, nostra est victoria. Nam illi in supra dictis articulis sentiunt, quod nos sentimus. Hoc sic ostendo.

19. Purgatorium, seu orationem pro defunctis agnoscit Augustinus in lib. de cura pro mortuis, cap.

4. Non sunt, inquit, prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, suscepit Ecclesia. Et Cyprianus lib. 1. epist. 9. Quod Episcopi antecessores nostri religiose considerantes, censuerunt ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Et Chrysostomus hom.

69. ad populum Antiochenum: Non temere ab Apostolis hæc sancta fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Et alij passim.

20. Inuocationem Sanctorum suo exemplo nos docet Athanasius serm. in Euangeliū de sanctissima Deipara, cum ait: Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo. Et infra: Intercede hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis. Et Augustinus in lib. meditationum, cap. 40. Sancta & immaculata Virgo Dei genitrix Maria, interuenire pro me digneris apud illum, cuius meruisti effici templum. Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, Sancti chori Angelorum atque Archangelorum, Patriarcharum atque Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Confessorum, vos rogare præsumo, ut pro me Deo supplicare dignemini. Et serm. 18. de Sanctis: Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto famineo sexu. Porro, non frustra inuocari Sanctos, testatur idem author

thor 22. de ciuitate Dei, cap. 8. circa medium his verbis. Erat quidam senex Florentius Hippoensis noster, homo religiosus & pauper. qui sartoris se arte pascebat, casulē perdiderait, & unde sibi emeret, non habebat: Ad viginti Martyres, quorum memoria apud nos est celeberrima, clara voce, ut vestiretur, orauit. Audierunt eum adolescentes, qui forte aderant irrisores, eumque discedentem exagiantes prosequabantur, quasi à Martyribus quinquagenos pholles, (id est nummos vel denarios) unde in vestimentum emeret, petiūisset. At ille tacitus ambulans, eiectum grandem piscem palpitantem vidi in littore, eumque illis fauentibus atque adiuantibus apprehendit, & euidam coquo Carchoso nomine, bene Christiano, ad coquinam conditariam, indicans quid gestum sit. trecentis phollibus vendidit, lanam comparare inde disponens, ut uxori eius, quomodo posset, ei quo indueretur, efficeret. Sed coquus concidens piscem, annulum aureum in ventriculo eius inuenit, moxque miseratione flexus, & religione perterritus, homini eum reddidit, dicens: Ecce, quomodo viginti Martyres te vestierunt.

21. De sacrificio Missæ clarissime scribit Augustinus lib. 20. contra Faustum Manichæum, cap. 18. Hebrei, inquit, in victimis pecorum, quæ offerebant Deo, multis & variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant future victimæ, quam Christus obtulit. Unde iam Christiani, peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi. Et lib. 1. de anima & eius origine, cap. II. Sed etiam si hoc ipsi concedatur, quod salua fide Catholica, Ecclesiastica regula, nulla ratione conceditur, ut pro non baptizatis cuiuslibet etatis hominibus offeratur sacrificium corporis & sanguinis Christi, &c. Quod repetit lib. 3. cap. 12. Noli credere, noli dicere, nec docere

sacrificium Christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierint offerendum, si vis esse Catholicus, Et S. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum Diaconum, cap. 19. Firmissime tene, & nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum, Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suavitatis: cui cum Patre & Spiritu sancto, à Patriarchis & Prophetis & Sacerdotibus, tempore veteris Testamenti, animalia sacrificabantur: Et cui nunc, id est tempore noui Testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est una diuinitas, sacrificium panis & vini in fide & charitate, sancta Ecclesia Catholica per uniuersū orbē terrae offerre nō cessat.

22. De transubstantiatione diserte loquitur Cyrius Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica: Aquam mutauit in vinum in Cana Galilæa sola voluntate, & non erit dignus, cui credatur, quod vinum in sanguinem transmutarit? Si enim ad nuptias corporis inuitatus stupendum miraculum operatus est, cur non multo magis corpus & sanguinem suum, filiis sponsi dedisse confitebimur? Nempe sub specie panis datur tibi corpus: sub specie vini sanguis Christi. Etiā sensus tibi aliter renunciet, fidestamen te confirmet. Et Gregorius Nyssenus in oratione catechetica c. 37. Recte nunc quoque credo, Deo verbo sacrificatum panem in Dei Verbi corpus transmutari. Et Cyprian. serm. de Cœna Domini: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro. Vide plura apud Ambrosium lib. de iis, qui mysteriis initiantur, c. 9. ubi eleganter & ex professo de hac re disputat.

23. Pro libero Arbitrio vbique pugnat Augustinus, præsertim in libro de quantitate animæ, cap. 36. Datum est, inquit, animæ liberum arbitrium, quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeo

caci sunt, ut ne ista ipsa quidem vana atque sacrilega, propria voluntate se dicere intelligent. Et in libro contra Fortunatum, disput. 2. Si Deus non dedisset liberum arbitrium, iudicium puniendi nullum iustum esse posset, nec meritum recte faciendi, nec praeceptum diuinum ut ageretur pœnitentia de peccatis. Et lib. de gratia & libero arb. c. 2. adducit multa scripturæ testimonia, quibus confirmat liberum voluntatis arbitrium, ut Eccles. 15. 14. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: Si volueris mandata seruare, conseruabit te. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manū tuam. Et 1. Cor. 7. 36. Quod vult faciat: non peccat, si nubat. Nam qui stauit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit. Et plura alia ibidem.

24. Meritum bonorum operum agnoscit idem Augustinus epist. 105. ad Sixtum: Nullane sunt igitur merita iustorum? Sunt plane, quia iusti sunt. Sed ut iusti fierent, merita non fuerunt. Et in lib. de perfectione iustitiae, contra Celestium, cap. 8. Post hanc vitam merces redditur, sed eis tantum, à quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum comparatur. Et lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. 25. Vita æterna est totum præmium, cuius promissione gaudemus: nec præmium potest precedere merita, & prius homini dari, quam dignus est. Non ergo debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere. Similiter Cyprianus tract. 3. de Simplicitate Prælatorum post medium: Iustitia opus est, ut promereri quis possit Deum Iudicem, præceptis eius & monitis obtemperandum est, ut accipient merita nostra mercedem. Et alij eodem modo.

25. De traditionibus sic scribit Augustinus epist,
118. ad Ianuarium, cap. i. *Illa autem, quæ non scripta,*
sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe
obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel
plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima au-
thoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod
Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & ad-
uentus de cælo Spiritus sancti, anniuersaria solennitate
celebrantur. Et lib. 4. de Baptismo contra Donatistas,
cap. 24. *Quod uniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis insti-*
tutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apo-
stolica traditum rectissimè creditur. Et serm. 191. de tem-
pore, qui est sermo tertius de sancta Trinitate, hor-
tatur populum, ut perpetuo orent Deum: *Primo, ut*
sancta Domini & Catholica Ecclesia dissensionibus omni-
bus & hæresibus carens, unitatem spiritus in vinculo cha-
ritatis ubique conseruet. *Secundo, ut Ecclesiae regula, san-*
ctaque Patrum traditio atque iudicia in perpetuum fir-
ma solidaque permaneant. Et ex hac regula ac tradi-
tione oppugnat ibidem, Arianos, Sabellianos, &
alios hæreticos.

26. Ecce, quam disertè antiqui Patres, in supra-
dictis articulis, idem sentiunt, quod nos sentimus. Si
ergo illorum iudicio standum est, vicimus. Verum
aduersarij non admittunt hos iudices. Aiunt Patres
errasse: ad Scripturam nos vocant. Audiamus illorum
verba. Lutherus in libro de abroganda Missa priua-
ta, sic habet: *Protestor aduersus eos, qui insanis vocibus*
in me sunt clamaturi, quod contra ritum Ecclesiae, contra
statuta Patrum docuerim, horum nihil me auditurum.
Et paulò post: *An obscurum est, sanctos Patres, & pec-*
casse in vita, & errasse in doctrina sepissime? Et in libro
contra Regem Angliæ: *Quidquid ultra verbum Dei*
producitur, hoc nostri sit arbitrij credere, non credere:
damna

damnare, probare. Et ibidem post multa. Ultimo, dicta Patrum inducit pro sacrificio Missario statuendo, & ridet meam stultitiam, qui solus velim sapere præ omnibus. Hoc est, quod dixi, Thomistæ asinos nihil habere, quod producant, nisi multitudinem hominū, & antiquum usum, &c. Ego vero, aduersus dicta Patrum, hominum, Angelorum, dæmonum, pono Euangelium, &c. Hic sto, hic sedeo, hic triumpho, hic insulto Papistis, &c. Dei verbum est super omnia. Diuina maiestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani contra me starent. Deus errare & fallere non potest: Augustinus & Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt & errauerunt.

27. Et Caluinus lib. 14. Instit. cap. 18. §. 12. Nihil tutius, inquit, quam ut allegata omni humani sensus audacia, in eo solo, quod Scriptura tradit, hereamus. Et certè, si cogitamus Domini non hominū cœnam esse, non est cur illa hominum autoritate vel annorum præscriptione partiamur nos ab illa, vel latum unguem dimoueri. Et Kemnitius in Examine Concilij Tridentini: Neque veterum qualescumque sententia, sed Scriptura Canonica regula est in hac controværsia. Et Franciscus Iunius in suis animaduersionibus circa libr. 3. Cardinalis Bellarmini de Pontifice: Patres à vero ut plurimū aberrauerunt. Denique, ut alios omittam, Albertus Gravverus in disputatione de Antichristo, §. 140. Patres iudex esse nequeunt, cum multis erroribus fuerint obnoxij.

28. Sic illi. Sed parum prudenter. Nam solent nos accusare, quod deseramus doctrinam antiquorum Patrum, & quod Ecclesia Romana, quæ modo est, pridem defecerit ab ea, quæ fuit tempore Augustini & aliorum Patrum, quos citavi. Nunc, cum manifestè contrarium ostenderimus, nempe nihil aliud docere nos, quam quod antiqui Patres docuerunt,

incipiunt ipsos quoque Patres erroris accusare. In quo, triplici criminis se obstringunt. Primo inconstanza: altero superbia: tertio desperationis. Inconstanza est, quod nunc afferant nos deserere veram antiquorum Patrum doctrinam; nunc affirmant antiquos Patres nobiscum errare. Superbia, quod de se magnificè, de aliis contemptim loquantur: quasi omnes alij errent, ipsi soli non errent. Desperatio, quod subterfugiant sententiam iudicis, neque velint finiri litem, quæ inter ipsos & nos controuertitur. Per quem enim finiatur, si Patres exclusi sint? Per Scripturam, inquiunt. At Scriptura sape indiget interprete. Quis ergo erit interpres? An Augustinus & alij Patres? Eos non admittunt aduersarij. An nos, qui contendimus cum aduersariis? Nec hoc volunt. An ipsum aduersarij? Sed quo iure magis illi, quam nos?

29. Ab his criminibus immunes sunt Catholici. Constanter retinent doctrinam, quam à maioribus suis acceperunt. Bene de illis loquuntur. Et, si in supradictis punctis, de quibus accusantur, lis decideret, libenter acquiescerent iudicio antiquorum Patrum. In quo imitantur exemplum Augustini, qui in controvensis contra Pelagianos, non alios quærebant iudices, quam Patres, qui ante illa tempora vivissent. Producant aliquot ipsius de hac re testimonia lib. 1. contra Julianum Pelagianum, cap. 2. & sequentibus, prouocat ad sententiam Irenæi, Cypriani, Reticij, Olympij, Hilarij, Ambrosij: ac tandem adductis eorum testimoniis, sic concludit: *I nunc, & sanctæ Ecclesiæ tot tantosque Doctores, qui vita optime gesta, debellatisque suorum temporum erroribus, gloriosissime de hoc saeculo, antequam vos ebulliretis, exierunt, tanquam securus*

securus insulta. Et paulò post: Cernis, cum quibus mihi sit causa communis. Si cernis, cerne, & tandem rase, Pelagianam linguam tot linguis Catholicis deprime, tot venerandis oribus proterua ora submitte. Et ibidem: Iterum te admoneo, iterum rogo, aspice tot ac tales Ecclesia Catholicae defensores, &c. Istis cede, & me non cedes: acquiesce istis, & quiescis à me.

30. Et cap. 7. post medium: Itane tuum sic amabis errorem, in quem iuuenili confidentia & humano lapsu incautius decidisti, ut ab istis Catholicæ unitatis & veritatis Sacerdotibus, ex diuersis orbis terrarum partibus tanta inter se fidei concordia congruentibus, in tam magna causa, ubi Christianæ religionis summa consistit, dissentire audeas? Et lib. 2. cap. 10. Propter quam Catholicam veritatem sancti ac beati, & in diuinorū eloquiorum pertractatione clarissimi Sacerdotes, Irenaeus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Basilius, aduersus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam. Et infra: Ego ante istos iudices te constituto, quos non amicos meos & inimicos tuos, aliqua in meam partem gratia propendentes, aliquo abs te merito tuae offenditionis auersos, & ob hoc tibi aduersos, in hac nostra disceptatione constitui cognitores: Nec eos, qui nunquam fuerunt, aut non sunt, aut quorum sententiae, de hoc, quod inter nos disputatur, incerte sunt, inani cogitatione confixi: sed sanctos, & in sancta Ecclesia illustres Antistites Dni, omnes sacris litteris eruditos, nominatim expressi. &c. Neque nobis, neque vobis irati sunt: neque nos, neque vos miseri sunt. Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filii tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos iudices agamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec

Vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus. Nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vincimus.

31. Et rursus, circa finem eiusdem capituli: *Quanto tibi essent isti iudices optabiliores, si teneres Catholicam fidem, tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumper- runt; quam contra inimicos, etiam vos tunc nondum natos, fortissime defenderunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, edificatoribus, pasto- ribus, nutritoribus crevit. Ideo prophanas voces vestrae no- uitatis expanuit: Et cauta ac sobria ex admonitione Apo- stolica, Catholicæ fidei virginitati insidias vestri dogmatis subrepentis exhorruit, & tanquam caput colubri calcavit, obtruiuit, abiecit. Vide similia lib. 3. cap. 17. & alibi. Quæ omnia diligenter expendant nostri aduersarij, & di- scant ab Augustino, antiquorū Patrum fidem & au- thoritatem reuereri, non petulanter contemnere.*

32. Hæc sufficient de secunda quæstione; in qua ostensum est, Ecclesiam Romanam non defecisse à fide, in iis articulis, in quibus ab aduersariis accusa- tur de defectione. Superest tertia quæstio, An post defectionem Ecclesiæ Romanæ, quam aduersarij fin- gunt, remanserit aliqua alia Ecclesia visibilis in ter- ris, nécne? Si remansit, quæ illa fuit? quo nomine appellata? quo tempore orta? quas mundi partes occupauit? quos Pastores & Episcopos habuit? quos item Martyres & Confessores? qui Reges & Impe- ratores illi adhæserunt? qui hæretici ab ea damnati sunt? quæ Academiæ confirmatæ? quæ templæ ere- cta? Si non remansit, quomodo Christus fuit fine sponsa? quomodo saluati sunt homines, cum extra Ecclesiam visibilem saluari nemo possit? quomodo verum

verum est, quod Christus dixit, *Portæ inferi non prænalebunt aduersus eam?* Ad hæc omnia nihil aliud fere respondent, quam se mirari, quod ista queramus. Quæ quidem responsio non satisfacit homini prudenti. Et tamen aliam, præter conuitia, non facile extorqueas.

III. QVÆSTIO.

De Ecclesia quæ præsumitur Reformata.

DVO hactenus explicata sunt. Primo, Visibilem Christi Ecclesiam, quæ est vna, sancta, Catholica, Apostolica, non posse deficere vel errare in fide. Secundo, hanc ipsam non esse aliam, quam Ecclesiā Romanā seu Pontificiam, quæ toto orbe diffusa, Romano Pontifici subiecta est. Nunc, quia aduersarij fingunt sibi nouam Ecclesiam, quam Reformatam vocant, de ea etiam aliquid dicendum est: Et hæc pauca per sequentes conclusiones demonstranda. 1. Hanc Ecclesiam non esse vnam. 2. non esse sanctam. 3. non Catholicam. 4. non Apostolicam. 5. non sponsam Christi. 6. non domum Dei. 7. non columnam veritatis. 8. non habere sanam doctrinam, sed dissentientem à doctrina antiquorum Patrum. 9. non habere constantem doctrinam, sed multis contradictionibus obnoxiam. 10. non habere Ministros bonæ famæ. 11. Nec legitime vocatos. 12. non esse legitimate propagatam.

I. CONCLV S I O.

Ecclesia Reformata, in qua Lutherani & Caluinistæ sunt, non est una.

1. **H**oc sic probo. Illi non pertinent ad vnam Ecclesiam, qui dissentunt in fide, in canone Scripturæ, & in ritibus Sacramentorum: At Lutherani & Caluinistæ in his omnibus dissentunt: Ergo non pertinent ad vnam Ecclesiam: Ergo Ecclesia Reformata, in qua sunt Lutherani & Caluinistæ, non est una, sed diuisa. Minor propositio continet tria puncta dissensionis, quæ sigillatim explicanda sunt.

2. Primo igitur dissentunt in fide: quod vltro fatentur Lutherani. Et quidem Matthias Höe, Minister Lutheranus, in libello suo, quem nuper Lipsiæ edidit, enumerat septemdecim articulos, in quibus ait Lutheranos dissentire à Caluinistis. Sunt autem histor. 1. de Verbo Dei. 2. de ipso Deo. 3. de persona Christi. 4. de Spiritu sancto. 5. de officio Christi. 6. de peccato. 7. de libero arbitrio. 8. de lege. 9. de Euangeliō. 10. de iustificatione. 11. de fide iustificante. 12. de Ministerio Verbi. 13. de pœnitentia & contritione. 14. de Sacramentis in genere. 15. de Baptismo. 16. de Cœna Domini. 17. de prædestinatione. Quæ omnia confirmat ex ipsis Caluinistarum verbis ac sententiis.

3. Secundo dissentunt in Canone Scripturæ. Nam Caluinistæ in suo Canone ponunt Epistolam ad Hebræos, Epistolam Iacobi, Epistolam Iudæ, & Apocalypsin Ioannis. At Lutherus hæc omnia excludit.

dit. Epistolam ad Hebræos ait in multis contrariam esse doctrinæ Apostolorum & Euangelistarum. Epistolam Iacobi vere stramineam appellat. Epistolam Iudæ, non ab Apostolo, sed aliquo alio, longe post tempora Apostolorum, conscriptam esse contendit. De Apocalypsi sic scribit : *Quæ ego in hoc libello desidero, non sunt unius generis, ut nec Apostolicum, nec Propheticum esse possem.* Et paulo post : *Sentiat de hoc libro quilibet, quicquid ipsi spiritus suus ingerit: meus spiritus ad eum se accommodare nequit.* Vtrique tamen, tam Lutherani, quam Caluinistæ habent nouum Canonem, quem ex antiquis Scriptoribus probare nō possunt. In quo dissentiant à Catholicis, quorum Canon antiquissimus est. Nam Catholici per Traditionem acceperunt suum Canonem ab Eugenio in Concilio Florentino, ut videre est apud Bartholomæum Carranzam in Summa Conciliorum. Eugenius à Gelasio in Concilio Romano. Gelasius ab August. lib. 2. de doctrina Christiana, c. 8. Aug. à Concilio Carthaginensi tertio, quod alij quintum, alij sextum vocant. Denique Patres huius Concilij ab Innocentio primo, epist. 3. ad Exuperium c. 7.

4. Tertio dissentiant in ritibus Sacramentorum. Nam Lutherani in administratione Baptismi adhibent Exorcismum & quasdam alias ceremonias, quæ apud Catholicos visitatæ sunt : quas tamen Caluinistæ, tanquam ridiculas & superstitiones contemnunt. De quibus sic scribit Caluinus lib. 4. instit. cap. 15. §. 19. *Quod ad externum symbolum pertinet, utinam genuina Christi institutio valuisse, quantum par erat, ad cohendam hominum audaciam. Quasi enim res esset contemptibilis, ex Christi præcepto, aqua baptizari, inuenta est benedictio, vel potius incantatio, qua veram aqua conse-*
tio

erationem pollueret. Additus postea cereus cum chrismate: ex sufflatio vero ianuam ad baptismum aperire visa est. *Etsi autem me non latet, quam vetusta sit aduentitia huius farraginis origo, respuere tamen mihi & piis omnibus fas est, quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines, &c.*

5. Ex hoc triplici capite dissensionis satis apparet, Lutheranos & Caluinistas non esse membra vnius Ecclesiae, sed diversae. Quod quidem, ut supra insinuavi, non dissimulat Lutherani, qui nullam volunt admittere societatem cum Caluinistis, sed eos tanquam haereticos & diabolos incorporatos, publicis scriptis execrantur. At Caluinistæ, nescio qua occulta fraude (si tamen occulta est) fingunt se esse fratres Lutheranorum, & eandem cum illis fidem ac religionem amplecti: Nec in ullo puncto (excepto vno de cœna Domini) ab illis dissentire. Itaque Ecclesiam Reformatam, in qua utrique sunt, vnam ac indivisam esse. Sed boni isti viri, dum insidiose volunt illudere Lutheranis, incaute sibi laqueum parant. Nam Lutherani, ex hac ipsorum confessione, possunt eos oppugnare in hunc modum: Caluinistæ palam profitentur, se in omnibus sentire, quod nos sentimus, vno puncto de Cœna Domini excepto: At nos sentimus, eos esse haereticos: Ergo ipsi idein sentiunt. Suo igitur iudicio haeretici sunt.

II. CONCLVSI O.

Ecclesia Reformata non est Sancta.

6. **H**oc sic ostendo. Illa Ecclesia non est sancta, quæ tradit doctrinam sanctitati repugnantem:

tem: Ecclesia Reformata tradit doctrinam sanctitati repugnantem: Ergo non est sancta. Major per se nota est. Minorem probo, quia doctrina, quam tradit Ecclesia Reformata, est haec. Primo, Deum esse authorem peccati, nec ullum peccatum patrari ab hominibus, nisi Deo instigante & impellente. Secundo, Praecepta Decalogi esse impossibilia, nec ab ullo, quantumuis iusto, seruari hactenus potuisse, nec deinceps seruari posse. Tertio, Bona opera nullius esse meriti aut valoris apud Deum: Imo, ut Calvinus loquitur, nihil aliud esse, nisi sordes, inquinamenta, meram iniquitatem. Quarto, Prædestinatos necessario saluari, quidquid tandem agant. Reprobos necessario damnari, quounque se vertant.

7. At haec doctrina repugnat sanctitati, & præbet occasionem libere peccandi. Nam qui sibi persuadet hanc doctrinam veram esse, sic apud se rationabatur. Primo, si Deus instigat & impellit me ad peccatum, cur illi resistam? peccem potius & ipsi impellenti ac instiganti obtemperem. Secundo, si praecepta Decalogi impossibilia sunt, frustra de eorum obseruatione sollicitus sim: frustra caueam a furtis, homicidiis, adulteriis. Tertio, si bona opera nihil valent coram Deo, quid necesse est bene agere? Imo, si nihil aliud sunt, quam sordes & inquinamenta, vitari potius; quam accumulari fas est. Quarto, si prædestinati necessario saluantur, quidquid agant, cur non libere indulgeant suis cupiditatibus? cur ventri ac Veneri impune non seruant? Et similiter, si reprobis bene agendo nihil proficiunt, quid frustra bene agendo operam perdunt?

8. Quis iam locus sanctitati sit, si hanc doctrinam amplectamur? Omnino nullus. Quod ipsi quoq

quoque aduersarij de se fatentur. Audiamus ipsorum testimonia. Lutherus in Postilla domestica lenæ impressa, concion. 2. Dominicæ 1. Aduentus: *Mundus, inquit, ex hac doctrina quotidie redditur deterior. Iam homines singuli septenis diabolis obfidentur, cum antea tantum unico obfessi fuissent. Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, ut nunc in tam splendida Euangelij lucce sint auariores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteruiores, quam prius in Papatu fuerant. Nimirum, is noui Euangelij fructus est.*

9. Similiter Caluinus in cap. II. Danielis, v. 34. *In exiguo illorum numero, qui se ab idololatriis Papatus subduxerunt, maior pars plena est perfidia & dolis. Praeclarum quidem zelum simulant: si tamen intus excutias, reperies plenos esse fraudibus. Et in Commentario 2. Petri 1. 2. Vix eorum decimus quisque est, qui alio fine Euangelio nomen dederit, quam ut solutius in omnem lasciviam diffueret. Hoc enim permittit Euangelium Caluinii.*

10. Et Andreas Musculus in libro de nouissimo die: *Quod si fateri veritatem volumus, tum hoc de nobis Euangelicis testari cogimur, magis quam nos, scortationibus, usuris, circumventionibus fraudibusque deditos, in toto iam modo nusquam inueniri. Et in lib. 1. de Prophetia Christi: Iterum cogor dicere, quia verum est, contumaciores homines, in quorum animis omnes omnis virtutis & honestatis scintillæ sunt extinctæ, & apud quos nihil iam pro peccato habetur, nusquam nec apud Ethnicos, Iudeos, Turcas inueniri, quam inter Euangelicos, apud quos omnino vinculis solitus ac liber viget Diabolus. Utque paucis rem omnem eloquar, eo nostra Lutheranorum res rediit, ut si quis videre cupiat magnam turbam nebulonum, atheorum, usuriariorum & deceptorum, ei adeunda sit ciuitas aliqua,*

aliqua, in qua Euangelium (nouum) pradicatur. Ibi caternatim id genus hominum inueniet. Testimonia hæc vera sunt.

TERTIA CONCLUSIO.

Ecclesia Reformata non est Catholica.

11. **S**Vpra dixi, Ecclesiam Christi dici Catholicam seu vniuersalem , triplici titulo. Primo , quia toto orbe diffusa est. Secundo , quia semper durabit usque ad finem mundi. Tertio , quia nullus extra illam saluari potest ; sed quotquot saluantur,in illa saluantur. At Ecclesia Reformata nullo horum modorum est Catholica seu vniuersalis.


12. Primo , quia non est toto orbe diffusa. Non enim est in Asia, Africa, India. Nec item in Hispania, Lusitania, Lotharingia. Nec in melioribus partibus Italiæ, Galliæ, Poloniæ. Nec deinde in omnibus provinciis Germaniæ aut Belgij. Et verisimile est, nunquā futurum , vt per totum orbem diffundatur. Nam Ministri Ecclesiæ Reformatæ vix abeunt in exteris nationes, plantandi Euangelij causa , sed hærent domi in suis angulis, vt olim Donatistæ. Vnde apparet non esse afflatos illo spiritu, quo olim erant Apostoli, quibus dictum est : *Accipite Spiritum sanctum.* Et, *Euntes in mundum vniuersum , prædicate Euangelium omni creaturæ.* Hunc spiritum retinent Catholici. Nullum regnum, nulla prouincia, nulla gens tam remota aut barbara est , ad quam ipsi non penetrant, non alio quam Euangelij promulgandi studio ac ardore excitati.

13. Solent respondere aduersarij , se id in Italia & Hispania præstare non posse , eo quod grauis ibi fiat

Opusc. Tom. V.

K K

inquis



inquisitio in eos , qui alienam religionem profiten-
tur. Esto. Sed etiam in Anglia , Scotia , Hollandia ,
itemque apud gentiles fit similis inquisitio in Catho-
licos : & tamen Catholic i propterea non terrentur.
Quin potius pro sua fide parati sunt mori , quod de
Ministris Reformationis affirmare non ausim. Atque
hinc iterum patet non esse afflatos illo spiritu, quo
erant Apostoli. Nam hi certe , cum à Christo mitte-
bantur cum hac protestatione: *Ecce ego mitto vos sicut
ones in medio luporum* : non horrebant persecutio nes,
quas passu i erant in prædicatione Euangeli j , sed ala-
cri & constanti animo eas optabant ac sustinebant,
iuxta illud Act. 5. 41. *Ibant gaudentes à conspectu con-
ciliij , quoniam digni habui sunt pro nomine Iesu contu-
meliam pati.* Quid vnquam simile auditum de nouis
Prædicantibus ?

14. Iterum excipiunt, se quidem, cum sint alliga-
ti vxoribus , legitime excusari ac impediri à tam lon-
gis itineribus : At Catholicos Sacerdotes , cum cæli-
bes sint, nec vlo domesticæ curæ impedimento im-
plicati , expeditos esse ad huiusmodi profectiones
obeundas. Recte hoc. Sed cur Prædicantes sponte se
implicant huius nodi impedimentis ? Cur non ma-
nent cælibes & expediti, ut ministerio suo apud gen-
tiles vacare possint ? Aut si vxores iam habent, cur ex
earum consensu, non sequuntur consilium Christi in
Euangelio : *Omnis qui reliquerit domum , aut uxorem ,
aut filios propter nomen meum , centuplum accipiet , & vi-
tam aeternam possidebit* ? Cur non imitantur Aposto-
los, qui relictis omnibus , per vniuersum orbem pro-
fecti sunt , & vbique Euangelium prædicarunt ? Ni-
mirum ostendunt vxorios se esse , non Euangelicos:
& magis propriæ voluptati , quam aliorum saluti
operam

operam dare.

15. Hæc de primo puncto. Alterum est, Ecclesiam Reformatam non esse Catholicam ratione temporis, id est, non semper duraturam. Quod ex triplici capite colligi potest. Primo ex testimonio Christi, Matth. 12. 25. *Omne regnum diuisum contrase, desolabitur: & omnis ciuitas vel domus diuisa contrase, non stabit.* At Ecclesia Reformata est contra se diuisa, ut conclus. 1. ostensum est: Ergo dissipabitur & non stabit. Secundo, ex responso Gamalielis, Actor. 5. 36. *Ante hos dies exstigit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consenserit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est, & omnes qui credebant ei, dissipati sunt & redacti ad nihilum.* Post hunc exstigit Iudas Galileus in diebus professionis, & auerit populum post se, & ipse periit: & omnes, quotquot consenserunt ei dispersi sunt. Unde hoc causa addit, quia omne consilium aut opus, quod non est ex Deo sed ex hominibus, dissoluetur. At consilium & opus Ecclesiæ Reformatæ non est ex Deo, sed ex hominibus, cum Deus non sit author dissensionis, sed pacis: Ergo dissoluetur. Et tunc dici poterit: *Ante hos dies exstigit Lutherus dicens se esse aliquem, cui consenserunt multi in Germania: qui mortuus est, & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt & redacti in nihilum.* Post hunc exstigit Caluinus, & auerit populum post se, & ipse periit, & quotquot consenserunt ei dispersi sunt. Tertio, idem confirmat quotidiana experientia. Videlicet Lutheranos paulatim minui ac perire: Et alios quidem ad auitam Catholicorum fidem reuesti: alios vero ad Caluinismum tendere: paucos restare, qui puri puti Lutherani sint. Caluinistas porro, ut plurimum, nomine tantum Christianos, re ipsa atheos esse.

16. Tertium est Ecclesiam Reformatam non esse Catholicam ratione saluandorum , id est, non omnes, quotquot saluantur, in Ecclesia Reformata saluari. Ratio manifesta est , quia Ecclesia Reformata cœpit primum tempore Lutheri & Caluini: Ergo quotquot ante illud tempus per mille quingenos annos saluati sunt , extra Ecclesiam Reformatam saluatos esse necesse est. An vero interea , vel unus aliquis in ea saluatus sit , merito dubitari potest. Et multa occurrunt argumenta in negantem partem. Primo , quia ipsi Lutherani & Caluinistæ de nullo, nisi temere , affirmare id possunt. Nec ullus apud eos fecit miracula , quibus persuaderet sanctum se esse. Secundo , si aliquis in ea saluatus esset , vel sola fide sine operibus saluatus esset , vel fide & operibus simul. Non sola fide , quia fides sine operibus mortua est (Iacobi 2. 17.) At mortua fide nemo saluari potest. Nec fide & operibus simul , quia qui ita saluantur , non Lutherani aut Caluinistæ , sed Catholicæ sunt. Tertio , nullus saluatur , nisi in Ecclesia sancta : At iam probatum est , Ecclesiam Reformatam non esse sanctam. Nemo igitur in ea saluari potest. Imo , si Luthero credimus , quotquot vivunt in Ecclesia Reformata , septenis Diabolis obsidentur : Vel ut Caluinus loquitur , pleni fraudibus ac perfidia sunt. Quomodo igitur saluari possunt?

IV. CONCLVSION.

Ecclesia Reformata non est Apostolica.

17. Ecclesia Christi quadruplici de causa appellatur Apostolica , ut supra dixi. Primo , quia in Apo-

in Apostolis initium habuit. Secundo , quia ab Apostolis per totum orbem fuit propagata , Tertio , quia sequitur doctrinam Apostolorum. Quarto , quia retinet successionem Episcoporum ab Apostolis , nunquam interruptam. At hæ causæ non possunt accommodari Ecclesiæ Reformatæ. Et quidem de duabus prioribus certum est. Nam Ecclesia Reformata nec in Apostolis initium habuit, sed in Luthero & Caluino: nec ab Apostolis , sed à Discipulis Lutheri & Caluini propagata est. Reliquæ duæ explicandæ sunt.

18. Iḡtur , quod Ecclesia Reformata non sequatur doctrinam Apostolorum , variis exemplis demonstrari potest. Primo , quia Apostoli docent , sacram Scripturam in multis difficilem esse intellectu 2. Petri 3. 14. Propter quod satagite immaculati & iniuiolati inueniri in pace ; & Domini nostri longanimitatem , salutem arbitremini : sicut & charissimus frater noster Paulus scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis , in quibus sunt quædam difficilia intellectu , quæ indocti & instabiles depravant , sicut & ceteras Scripturas , ad suam ipsorum perditionem. Contrarium docet Lutherus in præfatione assertionis omnium articulorum à Leone X. damnatorum , cum ait ; *Scriptura ipsa per se est certissima, facillima, apertissima, sui ipsius interpres.*

19. Secundo, Apostoli docent , Deum non incitare quenquam ad peccatum. Iacob. 13. Nemo , cum tentatur , dicat , quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Calvinus contrarium docet lib. 1. instit. cap. 18. §. 2. Vnde apparet , inquit , certa destinatione Dei fuisse impulsos. Loquitur de Assyriis , quos ait à Deo fuisse impulsos ad prædandum & similia flagitia militaria. Et ibidem §. 4. Homo iusto Dei impulsu agit , quod sibi non licet , id est,

homo iusto Dei impulsu peccat. Vide plura Caluinii & Lutheri testimonia §. sequenti.

20. Tertio, Apostoli docent, hominem in multis actionibus habere usum liberi arbitrij, ita ut liberum ei sit, V. G. vel matrimonium contrahere, vel continentiam seruare, 1. Cor. 7. 36. *Quod vult faciat: non peccat, si nubat.* Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens sua voluntatis, & hoc indicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit. Contrarium docent Lutherus & Caluinus, afferentes hominem in nulla actione, nec bona, nec mala, habere usum libertatis; sed a Deo, tum ad bene, tum ad male operandum, necessitate quadam compelli. Sic enim scribit Lutherus in assertione art. 36. *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re: quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus.* *Quod & Poeta voluit, quando dixit: Certa stant omnia lege.* Et Caluinus lib. 3. inst. cap. 23. §. 6. & 8. ponit duo principia, cum quibus libertas arbitrij consistere non potest. Vnum est, omnia quaecunque fiunt in hoc mundo, fieri Deo volente & ordinante. Alterum, voluntatem Dei esse necessitatem rerum. Ex utroque evidenter sequitur, quaecunque fiunt ab hominibus, sive bona, sive mala, ex necessitate fieri. Hinc diserte affirmat §. 9. *reprobos non posse evadere peccandi necessitatem, præsertim, inquit, cum ipsis ex Dei ordinatione iniciatur huiusmodi necessitas.*

21. Quarto, Apostoli docent, Deum optare & velle, quantum in ipso est, ut omnes salvi fiant, & nemo pereat 1. Timoth. 2. 1. *Obsecro primum omnium fieri orationes pro omnibus hominibus.* Hoc enim acceptum est coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos

saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et 2. Petri 3.9. Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reuerti. Contrarium docet Caluinus lib. 3. Instit. cap. 21. §. 1. Palam est, Dei nutu fieri ut aliis ultro offeratur salus: alij ab eius aditu arceantur. Et §. 5. Non enim pari cōditione creantur omnes, sed aliis vita aeterna, aliis damnatio aeterna praeordinatur. Et cap. 23. §. 2. Homines nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, in aeternam mortem predestinantur. Et ibidem §. 5. Dico esse à Deo creatos, quos ad exitium ituros sine dubitatione presciebat, idque ita factum, quia sic voluit.

22. Quinto, Apostoli hortatur nos ad bona opera 2. Petri 1. 10. Quapropter fratres magis satagit, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Lutherus & Caluinus damnant bona opera. Imo asserūt omnia opera iustorum esse peccata, sordes, inquinamenta. Sic enim scribit Lutherus in assertione artic. 31. In omni opere bono iustus peccat. Et Caluinus lib. 2. Instit. cap. 12. §. 4. Omnia hominum opera nihil sunt, nisi inquinamenta & sordes: & quæ iniustitia vulgo habetur, ea apud Deum mera est iniquitas. Et cap. 14. §. 9. Habemus, ne unum à sanctis exire opus, quod non mereatur iustum opprobrij mercedem. Et §. 11. Duobus his fortiter insistendum, nullum unquam existisse prius hominis opus, quod si se uero Dei iudicio examinetur, non esset damnabile, &c.

23. Sexto, Apostoli docent, fidem sine operibus mortuam esse. Iacob. 2. 20. Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Lutherus & Caluinus docent solam fidem sine operibus sufficere ad salutem. Verba Lutheri in libro de captiuitate Babylonica cap. de Baptismo sunt haec: Vides, quam dunes sit homo Christianus sine baptizatus, qui etiam volens non

poteſt perdere ſalutem ſuam quanquam cunque peccatis, niſi nolit credere. Nulla enim peccata poſſunt eum damnare, niſi ſola incredulitas. Et in lib. de libertate Christiana, non longe ab initio: *Anima ſola fide, & nullis operibus iuſtificatur.* Et Caluinus lib. 3. Instit. cap. 4. §. 28. *Fidelium peccata venialia ſunt, non quia mortem non merentur, ſed quia non imputantur.* Ex quo ſequitur, fideles ex eo praecisè, quia fideles ſunt, poſſe ſaluari, etiam ſi peccent.

24. Septimo, Apostoli docent, mandata Dei ab homine iusto facile ſeruari poſſe. Philip. 4. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Et 1. Ioan. 5. 3. *Hac eft charitas Dei, ut mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt.* Caluinus docet contrarium, lib. 2. Instit. cap. 7. §. 5. *Quod autem impoſſibilem legis obſeruationem diximus, id explicandum & confirmādum eft, &c.* Et in Antidoto Concilij Tridentini, ſeff. 6. cap. 12. *Mibi abunde ſufficit, neminem exſtitiffe unquam, qui legi Dei ſatisficerit, nec ullum poſſe inueniri.* Et ibidem: *Prophetas, Patriarchas, & pios Reges, ut cunque ſpiritu Dei adiuuarentur, ferendo legi iugo pares non fuiffe.*

25. Octauo, Apostoli docent, peccata tolli per Baptiſtum. Act. 2. 38. *Baptiſetur unusquisque vestrū in nomine Iefu Christi, in remiſſionem peccatorum veftronrum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Contrarium docet Caluinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 10. *Iam perſpicuum eft, quam falſum eft, per Baptiſtum ſolui nos & eximi ab originali peccato.* Et in Antidoto Cōciliij Tridentini, ſeff. 5. *Manet vere peccatum in nobis, neque per Baptiſtum exſtinguitur.*

26. Nono, Apostoli in Symbolo docent, Chriſtum deſcendiffe ad inferos. Quod conſirms Petrus, Actoſ 2. ex illo Dauidis vaticinio: *Non derelinques animam*

animam meam in inferno. Caluinistæ negant descendensum Christi ad inferos, & vaticinium Dauidis sic interpretantur: Non derelinques cadauer meum in sepulchro. Vide Theodorum Bezam in Commentario illius loci.

27. Decimo, Apostoli præter verbum Dei scriptum, admittunt etiam traditiones non scriptas. 2. Theffal. 2.14. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sine per sermonem, sine per epistolam nostram.* Lutherus & Caluinus non admittunt. Sola Scriptura contentos esse nos iubent. *Quidquid ultra verbum Dei producitur, inquit Lutherus contra Regem Angliae, hoc nostri sit arbitrij damnare, probare.* Similia habet Caluinus.

28. Ex his perspicuum est, Ecclesiam reformatam non esse Apostolicam, ratione doctrinæ. Sed neque ratione successionis Apostolica est. Nam ministri Lutherani & Caluiniani nō possunt suam successionem deducere usque ad Apostolos, sed ut summum usque ad Lutherum & Caluinum. Lutherus enim nemini alteri immediatè succedit. Neque hoc ipsi negant. Solum dicunt, hanc successionem Ministrorum non esse necessariam, sed sufficere successionē doctrinæ. In quo dupliciter peccant. Primo, quia iam ostendi, nec successionem doctrinæ apud eos esse. Deficiunt enim à doctrina Apostolorum, ut ex allatis exemplis manifestum est. Secundo, falsum est, successionem ministrorum, seu potius Episcoporum & Pastorum Ecclesiæ, necessariam non esse. Nam sine hac successione non potest consistere successio doctrinæ. Quomodo enim doctrina Apostolica potest per continuatam temporum successionem ad nos pervenire, nisi semper in Ecclesia sint Episcopi & Pa-

stores, qui illam quasi per manus tradant suis proximi-
mis successoribus, & hi similiter aliis immediatè sub-
sequentibus? Et hæc est causa, cur antiqui Patres
tantopere vrgeant hanc successionem, & conuincat
eos defecisse à doctrina, qui hac successione desti-
tuti sunt. Ut alios omittam, Tertullianus in lib. de
Præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. 32. de hæ-
resibus sic loquitur: *Edant origines Ecclesiarum suarū,*
euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successio-
nes ab initio decurrentem, ut primus illi Episcopus ali-
quem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum
Apostolis perseuerauerint, habuerit authorem & anteces-
sorem. Hoc enim modo, Ecclesiæ Apostolicae census suos
deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum
ab Ioanne collocatum refert: sicut Romanorum, Clemen-
tem à Petro ordinatum edit. Proinde utique & catere ex-
hibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos,
Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale ali-
quid hæretici.

29. Porrò, hæc Episcoporum successio tanti mo-
menti est, ut Augustinus non dubitauerit eam nume-
rare inter præcipua motiua, quibus ait se permotum
esse, ut in Ecclesia Catholica permaneret. Sic enim
scribit in libro contra epistolam Manichæi, quam
vocant Fundamenti, cap. 4. *Multa sunt, quæ in Eccle-*
siæ Catholicae gremio me iustissime teneant. Tenet consen-
sio populorum atque gentium; tenet authoritas miraculis
inchoata, spe nutrita, charitate audita, vetustate firmata:
tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas
post resurrectionem Dominus commendauit, usque ad pre-
sentem Episcopatum, successio Sacerdotum: tenet postremo
ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam
multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes
hæretici

hæretici se Catholicos dici velint ; querenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conueniatur, nullus hæretorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiam si propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vita merium, veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem, ubi nihil horum est, quod me inuitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio, &c. Expendant hæc nostri aduersarij.

V. C O N C L V S I O.

Ecclesia Reformata non est sponsa Christi.

30. **H**oc dupliceiter probbo. Primo ex dictis, quia illa sola Ecclesia est sponsa Christi, quæ est vna, sancta, Catholica, Apostolica : At talis non est Ecclesia Reformata, ut hactenus ostendi : Ergo non est sponsa Christi. Secundo ex absurdis, quæ sequuntur ex sententia aduersariorum. Aduersarij sic sentiunt. Primo, Romanam seu Pontificiam Ecclesiam, primis quingentis annis, fuisse veram & legitimam Christi sponsam. Secundo, eandem post illud tempus cœpisse paulatim prostitui & corrumpi, ac eo tandem deuenisse, ut tempore Lutheri & Caluini, publica meretrix & adultera deprehensa sit, ideoque à Christo repudiata. Tertio, in eius locum successisse Ecclesiam Reformatam, in qua Lutherani & Caluinistæ sunt.

31. At hinc sequuntur multa absurdita. Primo, omnia falsa esse, quæ de perpetua & indissolubili coniunctiōne Christi cum Ecclesia à Prophetis &

Apo

& Apostolis prædicta sunt. Secundo, nullum ex hac parte discriminem esse inter Ecclesiam Christi & Synagogam Iudæorum. Vtramque enim, propter adulterium, fuisse repudiata. Tertio, Christum aliquot sæculis non habuisse sponsam, sed adulteram. Quartio, ex hac adultera natos esse Lutherum & Caluinum. Itaque spurios esse, non legitimos Ecclesiæ filios. Quinto, Ecclesiam reformatam esse illorum nouercam, non matrem. Videant ipsi, an hæc vera sint.

32. Nos certè aliter sentimus de nostra matre. Non duas, sed unam agnoscimus: non adulteram, sed castam: non repudiatam, sed sponso suo unice charam, & perpetuo illi adhaerentem. Nobiscum sentiunt, quotquot veri & genuini Ecclesiæ filij sunt. Ac in primis D. Augustinus sermon. 12. de tempore (qui est serm. 8. de Natali Domini) vbi de Christo & eius sponsa sic habet: *Hic est speciosus forma præ filiis hominum, sanctæ filius Mariæ, sanctæ sponsus Ecclesiæ, quam suæ genitrici similem reddidit. Nam & nobis eam matrem fecit, & virginem sibi custodiuuit.* Ad hanc quippe dicit Apostolus: *Aptauit vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* De qua rursus dicit, *Matrem nostram non ancillam, sed liberam, cuius multi filij desertæ magis, quam eius, quæ habet virum.* Est ergo Ecclesiæ, sicut Mariæ perpetua virginitas, & incorrupta fœcunditas. Et serm. 50. de verbis Domini: *Christus Ecclesiæ concessit in spiritu, quod Mater eius habet in corpore, ut & Mater & Virgo sit.* Et rursum serm. 119. de tempore: *Virgo est Ecclesia. Dicturus es mihi fortè: Si Virgo est, quomodo parit filios? Respondeo: & Virgo est, & parit. Mariam imitatur, quæ Dominum peperit. Nunquid non Virgo sancta Maria & peperit, & Virgo permanuit?* Sic & Ecclesia, & parit, & Virgo est.

33. Ex quibus Augustini verbis tria colligo. Primo, Ecclesiam esse nostram Matrem. Secundo, esse simul virginem, castam, incorruptam: non ad breue tempus, sed perpetuo. Tertio, in utroque similem esse Mariæ Dei genitrici, quæ & ipsa Mater, & nihil minus semper Virgo, & incorrupta fuit. Hinc sumo duplex argumentum contra aduersarios. Vnum; Sicut olim habiti sunt haeretici, qui dicebant B. Mariam non semper mansisse virginem; ita nunc habendi haeretici, qui dicunt Ecclesiam non semper mansisse virginem. Est enim eadem ratio utriusque, secundum Augustinum. Alterum; Ideo Ecclesia dicitur Mater, quia nos gignit in spiritu: ideo Virgo, quia seruat incorruptam fidem. At semper manet Virgo, secundum Augustinum. Ergo semper seruat incorruptam fidem. Faceant igitur, qui illam meretricem, adulteram, idololatricam contumeliose appellant.

V I. C O N C L V S I O.

Ecclesia Reformata non est Domus Dei.

34. **I**Am supra insinuauit, Ecclesiam fidelium vocari Domum Dei, quia Deus peculiari modo in ea habitat per suam assistentiam & gubernationem. Et quidem Deus Pater, per miracula; Filius, per Sacra menta: Spiritus sanctus, per dona gratiæ. Igitur ex triplici capite aestimari potest, quænam sit Ecclesia fidelium, quæ non sit.

35. Primo, ex miraculis. Nam in Ecclesia fidelium solent duplicita potissimum fieri miracula. Quædam ad demonstrandam aut illustrandam alicuius san

fancitatem: alia ad confirmationem vel promissionis Dei, vel fidei aut doctrinæ, quam quis profitetur. Priora, ut plurimum, contingunt apud sepulchra & reliquias mortuorum. Exemplum ex veteri Testamento habemus in Helisæo, ad cuius ossium contum mortuus suscitatus est. (4.Reg.13.21.) In novo sunt similia exempla apud August.lib.22. de ciuitate Dei, cap. 8. Posteriora in utroque Testamento frequentissima sunt. In veteri, Noë cum familia sua miraculose conseruatus est tempore diluvij, Sara sterilis & nonagenaria peperit filium. Rubus in monte Oreb arsit, & non est combustus. Virga Mosis in serpentinam mutata est. Aquæ Ægypti in sanguinem conuerse. Mare rubrum diuisum. Manna de cœlo delapsum. Morsi à serpentibus, aspectu ænei serpentis sanati. Duo filii Aarons, igne de cœlo misso combusi. Corre, Dathan & Abiron, viui à terra absorpti, & ad inferos missi. Vesteſ & calceamenta populi Iſraëlis nunquam attrita. Sol stetit ad imperium Iosue. Helias à Deo impetravit, ut tribus annis & sex mensibus non plueret: aliquot diebus à coruo pastus est: puerum mortuum excitauit: quinquagenarios Principes igne cœlesti consumpsit: aquas Iordanis pallio diuisit, & per turbinem in cœlum raptus est. Nec pauciora patravit Helisæus. Infectas aquas sanavit in Hiericho: quadraginta duobus pueris propter coniitum maledixit, qui mox ab urbis deuorati sunt: modico oleo, diuinitus multiplicato, multa vasæ impleuit: mulieri Sunamitidi filium impetravit: eundem, cum mortuus esset, ad vitam reuocauit: paucis pani bus centum viros saturauit, ita ut reliquæ adhuc superessent: Naaman Principem militiæ Regis Syriæ à lepra liberauit: famulo suo Giezi, quid in absentia

con

contigisset, aperuit: ferrum super aquam natare fecit: occultas Regis Syriæ insidias Regi Israël manifestauit: hostes cæcitatem percussit: multa futura prædixit, ut victoriam contra Moabitæ, vilitatem annonæ in porta Samariæ, mortem vnius Principis, famem semper annorum, mortem Regis Syriæ, mala ab Hazæle perpetranda.

36. In nouo Testamento, nota sunt miracula Christi & Apostolorum. Nota, quæ postea ab Apostolicis viris in Ecclesia Catholica, per singulas ætates patrata s' quo rū meminit Tertullianus in libro ad Scapulam, & in Apologetico cap. 5. Eusebius libro 5. historiæ cap. 5. Orosius lib. 7. hist. c. 15. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 29. Hieronymus lib. de viris illustribus, Augustinus l. 22. de Ciuitate Dei, cap. 8. Gregorius in Dialogis, Beda in historia Anglicana, Baroniis in Annalibus Ecclesiasticis, & alij passim. Denique nota sunt, quæ nostra memoria, Laureti in Italia, Sichemij & Halleti in Brabantia, Dittelbachij in Franconia, & alibi pene innumera contigerunt. De quibus videri potest Horatius Tursellinus in Historia Lauretana, Iustus Lipsius in Virgine Hallensi & Aspricollî, Petrus Maffæus in historia Indica, Bredebachius, Surius, alij plures.

37. At apud Lutheranos & Caluinistas, in Ecclesia ipsorum Reformata, nullum unquam simile patratum est. Ut verissime de illis scripsérunt Erasmus in Diatribe de libero arbitrio; *Nullum eorum adhuc existisse, qui vel equum claudum sanare potuerit.* Tentauit quidem Lutherus aliquando expellere Diabolum, sed non successit. De qua re ita scribit Fridericus Stapylus, qui interfuit, in absoluta responsione contra Jacobum Smidelinum: *Possim ego redigere mihi in memoriam*

moriā, anno 1545. dæmoniacam quandam puellam, ē Misniae ditione adductam Wittembergam ad Lutherum, ea spē, quod Lutherus, ceterius Helias, puellā istam à malo Dæmonē liberaturus esset. Quamvis autem Lutherus ad hoc admirandum & magni momenti opus, initio non parum difficilem se ostenderet: at tandem tamen iussit puellam duci in parochianæ Ecclesiæ Wittembergensis Sacram, illicque coram aliis plerisque Doctoribus & eruditis viris (inter quos ego tunc quoque iuuenis Magister aderam) Dæmonem caput adiurare & exorcizare: sed id tamen more suo, non eo, qui apud Catholicos receptus & usitatus est. Cum autem ille diu multumque coniurasset Dæmonem, cedere ille noluit, sed eas in angustias (sit venia verbo) Lutheri caligas rededit, ut is quam primum ē Sacrario se proripere vellet. At quid accidit? Malignus ille Dæmon usque adeo fores Sacrarij obstruxerat, ut neque forinsecus, neque intrinsecus aperiri possent. Quæ res Lutherum in maiores etiam angustias adduxit, ita ut iam ad fenestram properaret, sperans se per eam posse effugere atq; exilire. Verum obstabant illi cancelliferri, sicque compulsus est una nobiscum tamdiu inclusus hærere, donec per cancellos ferreos ab Ædituo nobis esset oblata securis, mihiique ceu inniori viro tradita, ut ea fores effringerem. Quod equidem tum conatus sum, & ad effectum perduxi. Interea vero, visu admirandum erat, vt Lutherus angoribus corruptus, sursum deorsum cursitaret, atque instar ouis parturientis hic illucque se inuerteret. Hæc Staphylus. An porro alia miracula à Luthero vel Caluino patrata sint, dicam in 12. conclusione, vbi agendum erit de variis modis, quibus suam Ecclesiam propagare co[n]ati sunt.

38. Secundo, æstimari potest Ecclesia fidelium ex numero & administratione Sacramentorum, quæ à Christo

à Christo instituta sunt. Nos in Ecclesia Catholica habemus septem Sacra menta , quæ per Traditionem accepimus ab antiquis Patribus. De quibus luculentia mentio est apud Augustinum. Nam de Baptismo & Eucharistia sic scribit Epist. 118. ad Ianuarium cap. 1. *Christus Sacramentis numero paucissimis , obseruatione facilimis , significacione præstantissimis , Societatem populi noui colligavit: sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus: Communicatio Corporis & Sanguinis ipsius ; & si quid aliud in Canonictis Socipituris commendatur.* De Confirmatione, lib. 2. contra literas Petilianæ , cap. 104. *Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est , sicut ipse Baptismus.* De Ordine libro. 2. contra Epistolam Parmeniani, cap. 13. *Virumque Sacramentum est (nempe Baptismus & Ordo , quæ duo inter se confert) & quadam consecratione virumque homini datur , illud , cum baptizatur ; istud , cum ordinatur : ideoque in Ecclesia Catholica virumque non licet iterare.* De Pœnitentia lib. 1. de adulteriis coniugii, cap. 26. & 28. *Eadem est causa Baptismi & reconciliationis , sine quibus Sacramentis homines credunt se non debere exire de corpore.* De Matrimonio , lib. 1. de nuptiis & concupiscentiis, cap. 10. *Huius Sacramenti res est , ut mas & fœmina connubio copulati , quamdiu vivunt , inseparabiliter perseverent.* De Extrema Vnctione serm. 215. de tépore : *Quoties aliqua infirmitas superuenerit , Corpus & Sanguinem Christi ille , qui agrotat , accipiat , & inde corpusculum suum vngat , ut illud quod scriptum est , impleatur in eo: Infirmatur aliquis ? inducat Presbiteros , & orent super eum , ungenies eum oleo , &c.*

39. At Lutherani & Caluinistæ in Ecclesia Reformatæ reiiciunt multa Sacra menta , & duo fere retinent Baptismum & Eucharistiam. Quamquam ne hæc quidem illorum sunt. Nam legitimum Eucharistiæ

Sacramentum, propter defectum legitimæ consecrationis, non habent. Baptismum, si habent, à nobis mutuati sunt: quod negare non possunt. Patentur enim Baptismum, qui apud nos confertur legitimum esse. Vel ergo eundem habent, quem nos habemus, vel diuersum. Si eundem, à nobis habent. Si diuersum, legitimum non habent. Non enim nisi unus legitimus est, iuxta illud Apostoli, Eph. 4. 5. *Vnus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

40. Tertio aestimari potest Ecclesia fidelium ex donis gratiæ, quæ à Spiritu S. conferuntur. Quæ tamen si plurima sint, potissimum tamen hæc tria. Primo, donum pacis, concordiæ, & unionis, quia omnes domestici inter se colligati sunt. Act. 3.2. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* Et Ephes. 4.3. *Solliciti seruare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.* Secundo, donum continentiae & virginitatis. Mat. 19. 11. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Sunt enim Eunuchi, qui seipso castrauerat propter regnum cœlorum. Et 1. Corinth. 7.7. *Volo omnes vos esse sicut me ipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo.* Tertio donum voluntariæ paupertatis, & abdicationis omnium rerum in hoc mundo. Matth. 19.21. *Si vis perfectus esse, vade, vede que habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.*

41. At hæc dona non reperiuntur in Ecclesia Reformata. Ac primo, de dono pacis ac unionis certum est. Nam inter Lutheranos & Caluinistas intercedit perpetua dissensio, quæ tempore Lutheri orta est. Et eo ipso tempore tam erat pertinax, ut Lutherus in Colloquiis mensalibus, cum de concordia inter Lutheranos & Caluinistas sermo incidisset, diserte affirmâ

affirmari non aliam, quam quę inter Christum & Iudam intercessit, sperari posse. Nec errat. Nam postea in Conuentu Maulbrunnensi auctæ sunt inimicitiae. Deinde Claudiopoli, Anno 1586. in mutua odio iuratum est. Denique in celeberrimo Colloquio Mompelgardeni, cui capita utriusque sectæ, Iacobus Andreas Lutheranus, & Theodorus Beza Caluinianus interfuerūt, penitus de Concordia desperatum. Nec quicquam ibi crebrius, quam hæ, & similes voces auditæ: *Perturbarentur conscientia nostra, si vobis assentiremur, Item, Pacem non possumus cum perturbatione conscientiarum redimere. Item, Inter partes conuenire non potest.* Denique finis Colloquij fuit hic: *Quia, inquit Beza, dextras fraternitatis nobis porrigitur recusatis, & nos pro fratribus agnoscere non vultis, amicitia dextras etiam nolo.* Cui Iacobus Ergo intermittatur. Et sane intermissum est. Imo creuerunt odia. Nam interea Philippus Nicolai, Tilmannus Heshusius, Conradus Schlussenburgius, & multi alij Lutherani, præsertim Giesenses & Tubingenses publicis scriptis professi sunt, Caluinistas esse detestabiles & execrandos hæreticos.

42. Nec modo inter Lutheranos & Caluinistas haec dissensio est, sed ipsi quoque Caluinistæ inter se disseceti sunt. Nam aliud sentiunt Arminiani, aliud Gommaristæ, aliud Vorstiani, aliud Venatoriani, aliud Anglicani. Nec de rebus adiaphoris, sed de præcipuis fidei Christianæ capitibus inter se contendunt, vt de infinitate & immensitate Dei, de diuinitate Christi, de prædestinatione, de gratia & libero arbitrio; de authore peccati, & quæ similia sunt. Addo, quod verissimum est, vix duos reperiri posse Caluinistas, qui in his articulis per omnia consentiant. Ut recte dixerit, quisquis id dixit, tot prope Ecclesias esse Caluinistarū,

quot capita. Vix aliquis est, qui in Ecclesia sua consortem habeat in fide. Et quis credat in tanta animorum ac fidei dissentione, Spiritum Sanctum praesentem esse?

43. Neque est, quod obiciant, etiam Catholicos inter se dissentire: & aliam Thomistarum, aliam Scotistarum, aliam Nominalium doctrinam esse. Primo, quia Catholici, ut plurimum non dissentunt, nisi in quibusdam subtilitatibus, quæ salua fide in utramque partem disputari solent. Secundo, etiam si aliquando dissentiant in rebus fidei, habent tamen praesentissimum remedium, quo omnis ipsorum dissensio componi possit. Habent enim Pontificem & generalia Concilia, quorum iudicio libenter acquiescunt. Hoc remedio semper in Ecclesia Catholica usi sunt fideles. Tempore Apostolorum erat dissensio de circumcisione & lege Mosaica. Quid factum? Apostoli, indicti Hyrosolymis Concilio, litem deciderunt. Exortæ postea sunt nouæ quæstiones de die Paschatis, de libris canonicis, de Baptismo ab hereticis collato, aliæque complures singulis ætatibus, quæ omnes vel à Pontifice, vel à Conciliis à Pontifice approbatis soperatae aut extinctæ sunt. Nec ideo pax in Ecclesia turbata, aut charitas diminuta.

44. De qua re Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 18. Restat, inquit, ut hoc de Baptismo pie credamus, quod uniuersa Ecclesia à Sacrilegio schismatis remoti custodit. In qua tamen, si alius adhuc de ista questione, salua pace, sentirent, donec Uniuersali Concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisse, humana infirmitatis errorum cooperiret charitas unitatis sicut scriptum est, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum. Vide plura ibidem

45. Hoc remedio destituti sunt nostri aduersarij. Primo, quia nullum agnoscunt Pontificem, cuius sententiæ velint acquiescere. Secundo, quia Concilia, seu potius Conuenticula, quæ hactenus apud eos celebrata sunt, non sustulerunt ipsorum dissensiones & odia, sed auxerunt. Tertio, nec ullum deinceps celebrari ab iis poterit, in quo dissidia eorum componantur. Vel enim esset prouinciale, vel generale. Si prouinciale, non acceptaretur ab aliis extra prouinciam. Si generale, quis illi præesset: vel aliquis certe, vel nullus. Si nullus, quis ferret sententiam? Si aliquis, quis ille tandem? An princeps vel prædicans Lutheranus? Non vellent Caluinistæ. An Caluinianus? Non ferrent Lutherani. An aliquis alius, qui nec Lutheranus, nec Caluinianus sit? Non reperient, cui velint parere. Vno verbo, quidquid agant, nisi ad Ecclesiam Catholicam, ex qua exierunt, reuertantur, pacem & unionem sperare non possunt.

46. Alterum Donum, quod Spiritus Sanctus in Ecclesia Catholica, non quidem omnibus, sed tamen nec paucis communicare solitus est, ut commodius vacent Deo & pietati, est donum perpetuae continentiae & castitatis. De quo ut supra insinuavi, loquitur Christus, cum ait: *Qui potest capere, capiat. Item Sunt Eunuchi, qui seipsostr castrauerunt propter regnum cœlorum.* Ec Paulus. 1. Corinth. 7. 7. *Volo omnes vos esse, sicut me ipsum.* id est, cælibes. Quare hoc? Causam addit: *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Qui autem cum uxore est, sollicitus est, que sunt mundi, quomodo placeat uxori, & dñis est. Propter hanc causam, multi singulis æstatibus reperti sunt, & nunc etiam reperiuntur in Ecclesia Catholica, qui perpetuum seruarent continentiam, ut eo commodius diui-

næ vacarent contemplationi. De quibus prædixit Ioannes, Apoc. 14. 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coquinati: Virgines enim sunt.* Hi sequuntur agnum, quo-eunque ierit.

47. Nec hoc donum Spiritus Sancti reperitur in Ecclesia Reformata. Nulli sunt ibi prædicantes, qui se castrant propter regnum cœlorum: nulli, qui solliciti sunt quomodo placeant Deo, sed quomodo placeant vxoribus. Omnes matrimonio ligati, & diuisi. Imo præcipuam fœlicitatem ponunt in vxoribus: Ut recte de eis scripsit Erasmus in Epistola ad fratres inferioris Germaniæ: *Vbi cōtigit vxor, occinitur, Valete & plaudite.* Et ibidem, *Quis non iure admiretur, hos nouos Evangelistas non posse vivere sine uxoribus?* Et iterum: *Quæ malum, est ista tanta salacitas? Unde tanta carnis rebellio in iis, qui se iactant agi spiritu Christi?*

48. Et ut habeant velamen suæ turpitudinis, conantur ex Scripturis ostendere, Matrimonium esse in præcepto: nec se posse salua conscientia, transgre-di hoc præceptum. Allegant autem duo potissimum testimonia. Vnum, Genes. 1. 28. *Crescite & multiplicamini.* De quo Lutherus in libro de Vita coniugali: *Hoc non est præceptum, inquit, sed plusquam præceptum, quod non possumus impedire vel pretermittere: sed perinde necessarium est, quam edere, bibere, exspuere, purgare & euigilare.* Sicut enim in mea manu non est ut sim mas, ita minime situm est in me, ut sine muliere. Et ibidem: *Si non videt vxor, veniat ancilla.* Refert enim Erasmus in Epistola ad Stibarum, Bar-sileæ quendam in publica professione dixisse: *Te-stamentum Chisti est, Crescite & multiplicamini.* Alterum, 1. Timoth. 3. 2. *Oportet Episcopum unius uxoris vi-vum esse, id est, oportet Prædicantem esse coniugatum,* ut diserte interpretatur Salomon Gesnerus, Minister

Lutherus

Lutheranus, in oratione funebri, quam Vvintembergæ habuit in funere Ægydij Hannij. Videntur hi boni viri esse ex illo hominum genere, qui ut loquitur Apostolus, *depranant Scripturas ad suum ipsorum perditionem.* (2. Petri 3. 16.) Imo videntur ex professo velle accusare Christum & Apostolum, quod hortentur nos ad continentiam quasi hortentur ad id, quod præcep-
pro Dei repugnet. Nam si matrimonium præceptum est, continentia suaderi non potest. Faceant igitur, qui illam suadent. Faceat Spiritus Sanctus, qui ad illam seruandam interna motione nos allicit. Ita ne vero?

49. Quidam ex recentioribus Lutheranis putat corrigi posse hunc errorem adhibita distinctione. Ait matrimonium præceptum esse, non quidem omnibus (in quo dissentit à Luthero & Gesnero,) sed iis tantum, qui non habent donum continentiae, iuxta illud Apostoli: *Quod si non se continent, nubant: Melius enim est nubere, quam viri.* Eos vero, qui habent donum continentiae, non obligari hoc præcepto; sed posse iuxta consilium Christi & Apostoli, perpetuam seruare continentiam. Sed hæc distinctio penitus euertit causam aduersariorum. Vel enim donum continentiae datur aliquibus Ministris in Ecclesia Reformatæ, vel nulli. Si aliquibus datur, cur eo non vtuntur? cur non seruant continentiam, cuius seruanda causa, tam magnificum donum à Spiritu Sancto consecuti sunt? cur Christi & Apostoli consilio non parent? Si nulli datur, iam Spiritus Sanctus non habitat in Ecclesia Reformatæ per sua dona, sicut habitat in Ecclesia Catholica. Si hoc posterius concederint, in vera Ecclesia non sunt: si illud prius, in Spiritum Sanctum ingrati sunt. Eligant alterutrum.

50. Venio ad terrium donum , quod Spiritus Sanctus in Ecclesia Catholica vult esse peculiare,nēpe donum Euangelicæ paupertatis , quod præcedenti affinitate est. Nam sicut donum continentiae liberat hominem à cura matrimonij ; ita donum paupertatis à cura rerum temporalium. Hoc dono excelluit Christus,de quo scriptum est,Matth.8.20. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Christū imitati sunt Apostoli,vt omnium nomine faretur Petrus,Mat.19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Deinde alij ab Apostolis conuersi,de quibus Act. 2. 45. *Possessiones & substantias vendebant, & dividabant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Et cap. 4.32. *Nec quisquam eorum, que possidebat , aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Quod etiam nunc seruatur in Ecclesia Catholica apud Religious. At minime in Ecclesia Reformata. Nā prædicantes , sicut vxoribus alligati sunt, ita perpetuo solliciti de corradendis pecuniis , quibus & se , & suas uxores ac filios alant. Quod eleganter expressit Erasmus in Epistola ad Vilbaldum.cum ait : *Duo tantum querunt noui Euangelici, censem & uxorem: cetera praestat illis Euangeliū, hoc est, potestatem vivendi, ut volunt.*

51. Ex dictis sic concludo : Illa non est vera Christi Ecclesia,in qua nec Deus Pater habitat per miracula,nec Filius per Sacramenta,nec Spiritus Sanctus per dona gratiæ:At in Ecclesia reformata non habitat Pater per miracula , quia nullum hactenus miraculum ibi factum est : Nec Filius per Sacramenta , quia nullum ibi Sacrementum est , excepto Baptismo,qui pertinet ad Ecclesiam Catholicam:Nec Spiritus Sanctus per dona gratiæ,quia præcipua dona gratiæ sunt hæc tria concordia ,continentia , voluntaria paupertas,

quæ

quæ in Ecclesia Reformata locum non habent. Non igitur est vera Christi Ecclesia.

SEPTIMA CONCLVSION.

*Ecclesia Reformata non est columnæ & firmamentum
Veritatis.*

52 **H**oc sic probo : Illa Ecclesia non est columnæ & firmamētum veritatis, quæ potest errare in veritate fidei: At Ecclesia Reformata potest errare: Ergo non est columnæ & firmamentum veritatis. Minorē coguntur aduersarij concedere. Aiunt enim, ut sepe dictum est, totam Christi Ecclesiam errare posse; & Pontificiam, quæ olim fuit Christi Ecclesia, de facto errasse. Ex quo sequitur, totā quoque ipsorum Ecclesiā, quam Reformatā vocant, similiter errare posse. Vnde ulterius infero; omnia apud ipsos incerta esse, ac proinde stulte facere, quod de certitudine fidei ac salutis sibi blandiantur.

53. Quod quidem clare ostendo ex duobus principiis, quæ ipsi statuunt. Vnum est, Pontificiam Ecclesiam non subito, sed sensim defecisse à fide, ac tandem omni fide abiecta adulteram factam esse. Alterum defectionem illam initio fuisse latenter & occultam, adeo, ut nec locus, nec tempus, nec aliæ circumstantiæ illius certo designari potuerint. Tandem tamen post aliquor sœcula, à Lutherò & Calvino publice fuisse notatam & deprehensam. Ex utroque sic concludo. Quod contigit Ecclesiæ Pontificiæ, potest etiam contingere Ecclesiæ reformatæ: At Pontificia, ut aduersarij dicunt, sensim, latenter & occulte defecit à fide, nobis non aduententibus: Ergo etiam reformatæ

poteſt ſenſim , latenter & occulte deficere , iþis non aduerterib⁹. Quid ſi ergo iam defecerit , & iþi non aduerterint? Imo , quomodo poſſunt aduertere , ſi defectio latens & occulta eſt ? Manent ergo incerti de ſua fide & Eccleſia.

54. Hic plane conſtriicti ſunt. Nec video , quid poſſint respondere. Nam quod aliqui dicunt. Eccleſiam , non poſſe errare vel deficere à fide , quamdiu ſequitur Verbum Dei , fruſtra eſt. Primo , quia argumentū , quod iam poſui , repetam , hoc modo : *Quidquid contigit Eccleſiae Pontificiæ , poſteſt etiā contingere Eccleſiae Reformatæ :* At Pontificia , vt iþi volunt , ſenſim , latenter , & occulte deſeruit Verbum Dei , nobis non aduerterib⁹: Ergo etiā Reformata poſteſt ſenſim , latenter & occulte deſerere Verbum Dei , iþis non aduerterib⁹. Quid ſi ergo iam deſeruerint , & iþi non aduerterint? Numquam elabentur ex hoc labyrintho. Semper manebunt dubij & incerti de ſua fide , niſi nobiscum afferant , totam Eccleſiam erare aut deficere non poſſe.

55. Deinde , Vnde conſtabit aduersarijs , an noſtra vel iþorum Eccleſia ſequatur Verbum Dei , nec ne? Nos noſram defendimus : illi ſuam. Quis decidet hanc litem ? Designent iþi infallibilem Iudicem , qui ſententiam ferat. Non poſſunt. Vel enim designabunt iþum Verbum Dei , vel Eccleſiam , vel ſingulos qui ſunt in Eccleſia , vel aliquos ex illis. Ac primo , ſi designent Verbum Dei , nos vicimus. Nam verbum Dei expreſſe afferit , Eccleſiam eſſe columnam veritatis , quam nullæ inferorum vires euersuræ ſint. Idem nos afferimus. Si ergo hoc iudice cauſa definienda eſt , victoria noſtra eſt. Si autem designent Eccleſiam , contra ſe faciunt. Vel enim ſententia Eccleſiae infallibilis eſt ,

est, vel falli potest. Si infallibilis est, errant ipsi, qui dicunt errare posse. Si falli potest, iterum errant, quia cum debeat assignare Iudicem infallibilem, designant Ecclesiam, quam aiunt falli & errare posse. Denique si designent vel singulos, vel aliquos eorum, qui in Ecclesia sunt, magis desipiunt. Si enim tota Ecclesia errare potest, quanto magis singuli, qui in Ecclesia sunt, errare possunt?

56. Forte dicturi sunt, duplarem esse Ecclesiam: Vnam visibilem, in qua boni & mali permixti: alteram inuisibilem, in qua soli prædestinati sunt. Totam visibilem errare posse; non item inuisibilem. Sed hoc etiā frustra. Imo, qui hoc dicunt, secum ipsi pugnant. Nam omnes prædestinati, quos aiunt esse in Ecclesia inuisibili, sunt etiam in Ecclesia visibili: Ergo si tota visibilis errare potest; omnes etiam prædestinati errare possunt: Aut, si hi non possunt, nec tota Ecclesia visibilis potest. Quod autem prædestinati omnes sint in Ecclesia visibili, ne aduersarij quidem negare possunt. Et ratio manifesta est, quia nullus saluatur extra Ecclesiam visibilem, ut quæst. 1, conclus. 3, ex illorum concessione probatum est: At omnes prædestinati salvantur: Ergo nullus prædestinatus est extra Ecclesiam visibilem.

57. Ex dictis colligo duplex Dilemma in aduersarios. Vnum est: Vel tota Ecclesia visibilis errauit in fide ante ortum Lutheri, vel non errauit. Si tota errauit, omnes & singulos Christianos errasse necesse est, etiā prædestinatos. Nulla igitur tunc erat fides in terra. Vnde igitur Luthetus eam accepit? Si non errauit, cur aduersarij fingunt errasse, cur eā, ut errantem, deserunt?

58. Alterum: Vel tota Ecclesia Reformata, in qua Lutherani & Calvinistæ sunt, potest errare in fide, ip̄s̄is

ipsis non aduertentibus, vel non potest. Si non potest, quomodo Pontifícia potuit? Si non potest, quid si iam erret, & ipsi nō aduertat? Repeto, quod supra dixi, semper dubios ac incertos, fore, quamdiu sentiunt Ecclesiam errare posse. Deponant hunc errorem, & id sentiant de Matre Ecclesia, quod maiores nostri senserunt. Sic futurum est, ut amplius non errent.

O C T A V A C O N C L V S I O.

Ecclesia Reformata dissentit in doctrina ab antiquis Patribus, qui vixerunt in primitiua Ecclesia.

59 **H**oc probo ex concessione aduersariorum. Nam Lutherus fatetur se contemnere doctrinam antiquorum Patrum. Sic enim scribit in Colloquiis mensalibus cap. 57. de Patribus Ecclesiæ: *Hieronymum legere licet propter historiam. Nam de fide & vera religione ac doctrina ne verbum quidem in ipsius scriptis extat. Origenem iam dudum diris deuoui. Chrysostomum nullo loco habeo: non est nisi loquaculus. Basilius nihil valet: iotus est Monachus: ne pilo quidem illum redimerem, Apologia Philippi Melanchthonis superat omnes Ecclesiæ Doctores, etiam Augustinum.* Et ibidem: *Tertullianus inter Ecclesiæ Doctores merus est Carlostadius. Cyprianus Martyr infirmus est Theologus.* Et infra: *Videte, quales de fide tenebrae sint in Patrum scriptis. Nam quando articulus ille de hominis iustificatione tenebris obductus est, fieri omnino nequit, ut maiores errores vitentur. S. Hieronimus scripsit in Matthæum, & Epistolam ad Galatas & ad Titum, sed quam frigide! Ambrosius sex libros super Genesim Mosis, sed quam ieiunos! Augustinus nihil singulare habet de fide.* Et iterum: *Nulla*

est expositio Patrum in Epistolam ad Romanos vel Galatas, in qua aliquid purum & sincerum reperiatur.

60. Et ca. sequenti, de Scholasticis Theologis: *Hieronymus inter Ecclesiæ Doctores numerari non debet, quia fuit hereticus. Puto tamen, quod per fidem in Christum salvatus sit. Nihil de Christo loquitur, nisi quod nomen illius aliquando in ore habeat. Nullum scio ex Doctoribus, cui æque infensus sim, ac Hieronymo, qui tantum scribit de ieiunio, de delectu ciborum, de virginitate, &c.*

61. Lutherum imitatur Caluinus, qui & ipse diserte affirmat se dissentire à primitiua Ecclesia, in his punctis sequentibus. Primo, de persona Christi mediatoris. (l.2.instit.c.14.§.3. *Atque hic excusari non potest veterum error, qui dum ad Mediatoris personā non attendunt, eius fere doctrinæ, que in Euangeliō Ioannis legitur, genuinum obscurant sensum, seque implicant multis laqueis.* Vbi nota Caluinum sentire, Christum Mediatorem subiectum esse Patri non solum ratione humanitatis, sed etiam ratione Deitatis; quod omnes antiqui Patres negant. In quo Caluinus putat eos errare, cum ipse potius erret. Nam ex ipsius sententia sequitur, Christum non esse Patri consubstantialem, quod est contra Symbolum fidei.

62. Secundo, de cooperatione liberi arbitrij cum gratia (lib.2.inst.c.3.§.7. *Non recte à Chrysostomo scriptum est, nec gratiam sine voluntate, nec voluntatem sine gratia, quicquam posse operari.* Et §. 10. *Ac utilitatem mouet, non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obiecerare aut refragari sed illam efficaciter afficiendo.* Hic dupli nominis reprehendit Chrysostomum, & alios Patres, qui ante multa sæcula vixerunt. Primo, quod dicant voluntatem hominis posse resistere actuali gratiæ Dei. Secundo

cundo, quod dicant non solam gratiam, sed etiam voluntatē actiue concurrere cum gratia ad consensum boni operis. Vtrumque ipse negat. Primo, quia putat non esse in potestate voluntatis resistere motioni diuinæ, contra illud Actor. 7. 51. *Vos semper spiritui Sancto resististis.* Secundo, quia putat voluntatem non concurrere actiue, sed tantum passiue se habere, contra illud 1. Corinth. 15. 10. *Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* Non ego autem, sed gratia Dei mecum, id est, ut interpretatur Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio cap. 5. Non solus ego sed gratia Dei mecum: ac per hoc, nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo:

63. Tertio, de descensu animæ Christi ad Limbum Patrum. lib. 2. institut. c. 16. §. 9. Hæc fabula tametsi magnos authores habet, & hodie quoq; à multis serio pro veritate defenditur, nihil tamen, quam fabula est. Nam concludere in carcere mortuorum animas, puerile est: Christi autem animam illuc descendere, ut eas manu mitteret, quid opus fuit? Hic manifeste reiicit omnes antiquos Patres, Ignatium, Iustinum, Irenæum, Origenem, Eusebium, Cyrillum, Athanasium, Basilium, Gregorium Nissenium, Nazianzenum, Epiphanium, Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, & alios, qui diserte affirmant Christum ad inferos descendisse, ut inde animas iustorum veteris Testamenti liberaret, ut vide re est apud Cardinal. Bellarminum libro 4. de Christo cap. 14.

64. Quarto, de oratione pro defunctis. (lib. 3. inst. cap. 5. §. 10.) Cum mihi obiiciunt aduersarij, ante mille & trecentos annos usu receptum fuisse, ut precationes fierent pro defunctis, eos vicissim interrogo, quo Dei verbo, quareuelatione, quo exemplo factum fu. Et ibidem: Atque ipsi etiam

etiam veteres, qui preces fundebant pro mortuis, legitimo exemplo hic se destitui videbant. Hoc falsum est. Nā Augustinus in libro de cura pro mortuis, cap. 1. allegat exemplum ex Scriptura cum ait: *In Machabaeorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium. Quo exemplo vtitur etiam D. Prosper in li. de promissionibus & prædictiōnibus Dei, parte 2. cap. 40. & alij.*

65. Quinto, de Satisfactione. (lib. 3. inst. cap. 4.)
 §. 38. Parum autem me mouent, que in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video omnes fere: quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperre ac dure locutios.

66. Sexto, de solenni pœnitentia. (lib. 4. inst. cap. 12. §. 8.) *Qua in parte excusari nullo modo potest immodica Veterum austeras, que & prorsus à Domini prescripto dissidebat, & erat mirum in modū periculosa.* Et paulò post: *Quicunque igitur sano iudicio rem estimauit, desiderabit hic eorum prudētiam.*

67. Septimo de iejunio Quadragesimali. (lib. 4. cap. 12. §. 20.) Et iunc, nempe in priuiliua Ecclesia, passim innaluerat superstitiosa Quadragesima obseruatio; quia & vulgus eximum aliquod obsequium Deo se in ea præstare existimabat, & Pastores eam commendabant pro sancta Christi imitatione, cum planum sit, non ideo iejunasse Christum, ve aliis exemplum prescriberet, &c.

68. Octauo, de Laicis baptizantibus. (libro 4. cap. 15. §. 20.) *Quod autem multis abhinc saeculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiae exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis Laici baptizarent, si Minister in tempore nō adesset, non ideo, quam firma ratione defendi queat. Ne ipsis quidem veteribus, qui hunc morem vel tenebant, vel patiebatur, constabat; an recte id fieret.* Hoc falsum est, quia constabat omnibus, id recte fieri à Laicis Christianis, fuit ramen aliquan

aliquando dubitatum de Laicis infidelibus , aut non-dum baptizatis. Vide Bellarminum libro de Baptismo, cap.7.

69. Nono, de Sacrificio Missæ. (lib.4.cap.18.§. 11. Sed quia veteres quoque illos video alio hanc memoriam derorisse, quam institutioni Domini conueniebat , &c. excusari non posse arbitror , quin aliquid in actionis modo peccauerint. Imitari sunt enim proprius Iudaicum sacrificandi morem quā aut ordinauerat Christus , aut Euangeli⁹ ratio ferebat.

70. Decimo , de Exorcismo & aliis Baptismi ceremoniis & ritibus, (lib.4.c.15.§.19. Quasi res esset contemptibilis, ex Christi præcepto aqua baptizari , inuenta est benedictio , vel potius incantatio, que veram aquæ consecrationem pollueret. Addiūs postea cereus cum chrismate : exsufflacio vero ianuam ad Baptismum aperire visa est Eisi autem me non latet, quam vetusta sit aduentitia huius farraginis origo: respuere tamen mihi & piis omnibus fas est, quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines. Hinc Caluinus eidet ceremonias Baptismi in primitua Ecclesia usurpatas, & per contemptum vocat aduentitiam farraginem.

71. Undecimo, de concupiscentia in renatis (lib. 1. cap.3.§. 10.) Neque opus est multum inuestigando laborare, quid hic veteres senserint , quando unus Augustinus sufficere ad id potest , qui fideliter omnium sententias colligit. Porro inter illum & nos hoc inierest , quod ipse quidem , eum fideles concedat sic illigatos teneri concupiscentiis , ut non possint non concupiscere ; eum tamen morbum peccatum vocare non audet , sed ad illud designandum infirmitatis nomine contenus, tunc demum fieri peccatum docet , ubi vel opus vel consensus ad conceptionem vel apprehensionem accedit. Nos autem illud ipsum pro peccato habemus , quod aliqua omnino cupiditate contra legem Dei homo iuillatur. Imo ipsam

præmita

prauitatem, quæ eiusmodi cupiditates nobis generat, afferimus esse peccatum.

72. Hic tria afferit Caluinus contra Augustinum & alios antiquiores ab Augustino citatos. Primo, concupiscentiam in actu primo, quatenus significat proritatem ad concupiscendum, esse peccatum originale. Secundo, motus concupiscentiae, qui procedunt ab illa proritate, esse peccata mortalia, etiam ante consensum voluntatis. Tertio, eosdem motus, tametsi inuoluntarios, prohiberi ista lege Decalogi, *Non concupisces*. Quæ omnia clarius alibi proponit. Porro, ex his tribus principiis multa alia sequuntur in sententia Caluini. Primo, peccatum originale non tolli per Baptismum, quia concupiscentia non tollitur. (lib. 2. inst. cap. 1. §. 8. & lib. 4. cap. 15. §. 10.) Secundo, omnia opera iustorum esse immunda & inquinata, quia contaminantur ex contagione peccati originalis, quod semper manet in iustis. (lib. 3. cap. 12. §. 4. & 11.) Tertio, legem Decalogi esse impossibilem, quia nemo potest seruare hoc præceptum, *Non concupisces*. Nec reliqua seruari possunt per opera immunda & inquinata. (lib. 2. cap. 7. §. 5.) Quarto, hominem non esse iustum per iustitiam inhærentem, sed per extrinsecam & impunituam; quia iustitia inhærens non potest consistere cum originali peccato inhærente. (lib. 3. cap. 11. §. 4. & 23.) In his ergo omnibus necesse est Caluinum dissentire ab Augustino & aliis Patribus.

73. Ex dictis summatim hæc colligo. Primo, Lutherum & Caluinum maxime detestari doctrinam eorum Patrum, qui commendant iejunium, delectum ciborum, quadragesimam, pœnitentiam, satisfactiōnem, virginitatem. Vtrumque igitur osorem ac hostem esse iejunij, pœnitentiæ, & virginitatis. Quid ergo respō-

dissent Christo, cum dixit, Mat. 17. 20. *Hoc genus damno-
niorum non eiicitur, nisi per orationem & ieiunium.*

74 Secundo, Lutherum dissentire ab antiquis Patribus in articulo de fide & iustificatione. Nec mirum, quia fingit fidem iustificantem in eo consistere; ut quis certo sibi persuadeat, nulla peccata, quantumuis enormia, sibi nocere aut imputari: Nec se posse damnari propter peccata, nisi nolit credere. (supra §. 23.) Hanc fidem, sine dubio non agnouerunt antiqui Patres.

75 Tertio, Caluinum dissentire ab antiquis Patribus in articulo de persona Mediatoris, de cooperatione liberi arbitrij cum gratia, de descensu Christi ad inferos, de oratione pro defunctis, de Ministro & ceremoniis Baptismi, de Sacrificio Missæ, de concupiscentia in tenatis, de peccato originali, de operibus iustorum, de observatione Decalogi, de iustitia inherente, de similibus. Et hæc omnia ex confessione Caluini. Taceo interim alios articulos, in quibus ab iisdem dissentit, ut de authore peccati, de prædestinatione ad mortem, de reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, de necessitate Baptismi, &c.

76 Quarto, Lutherum & Caluinum parum modestos esse erga antiquos Patres. Nam Lutherus ait versatos fuisse in tenebris: nihil purum aut sincerum scripsisse: multa frigide & ieiune ab iis dicta esse: non fuisse, nisi loquaculos monachos, infirmos Theologos, hereticos, qui ne pilo quidem fuerint redimendi. Similiter Caluinus, lapsos esse, ab errore non posse excusari, sensum Euangelij obscurasse, multis se laqueis implicasse: nihil præter fabulas scripsisse: immodice austeros, parum prudentes fuisse: Iudæorum morem imitatos esse. Summa est, Lutherum & Caluinum, suo iudi

iudicio, solos sapere; reliquos omnes, qui antegressi sunt, errasse & despisse.

77 Eant nunc, & persuadeant populo scilicet, doctrinam suam conformem esse doctrinæ antiquorum Patrum: nostram difformem. Contra res habet. Quidquid Catholici nunc docent de Purgatorio, de Invocatione Sanctorum, & Sacrificio Missæ, de transsubstantiatione, de libero arbitrio, de merito bonorum operum, de Traditionibus; hoc antiqui Patres docuerunt, ut quæst. 2. concl. 3. ostensum est. Et vicissim, quidquid Lutherani & Caluinistæ nunc docent de iisdem aut similibus articulis; antiqui Patres detestati sunt, ut ex dictis patet.

IX. CONCLVSION.

*Ecclesia Reformata non habet doctrinam constan-
tem, sed multis contradictionibus
obnoxiam.*

78. **H**oc tripliciter ostendi potest. Primo ex contradictionibus Lutheri. Secundo ex contradictionibus Caluini. Tertio ex contradictionibus aliorum, siue Lutheranorum, siue Caluinistarum. Ac primo de contradictionibus Lutheri, quæ prope infinitæ sunt, nihil dicam hoc loco, quia iampridem fideliter & accurate collectæ sunt partim à Ioanne Cochlæo in libello, qui inscribitur *Lutherus septiceps*: partim ab auctore vulgatissimi illius libelli, qui anno 1587. germanico idiomate editus est cum hac inscriptione; *Der Evangelische Vvetterhan*. At Caluini contradictiones, nescio, an haec tenus ab uno aliquo pari fide ac diligentia notatae sint. Eas igitur, non quidem omnes,

sed tamen præcipuas hic recensebo, vt inde appareat, nullum prope esse articulum fidei, de quo aliquid certi apud Calvinistas statui possit.

79 Prima est de authore peccati. Nam lib. i. inst. cap. 18. §. 3. docet Deum esse authorem peccati, his verbis: *Iam satis aperiè ostendi, Deum vocari eorum omnium authorem, quæ isti censores volunt otioso tantum eius permisso contingere.* Loquitur de peccatis, de quibus disputare ceperat, nominatim de cæcitate & tyrannide Achabi, de incestu Absalonis, de conuictio Semei, de apostasia decem tribuum, de cædibus & rapinis Chaldæorum, de rabie & furore Iudeorum in Christum, de iniquissimo Pilati iudicio. Horum omnium ait authorem esse Deum: ridetque Catholicos, qui hæc sola Dei permissione putant evenire. Eodē sensu dixerat, §. 1. *Absalon incesto coitu patris thorum polluens, detestabile scelus perpetravit. Deus tamen hoc opus suum esse prouinciat.* Et §. 4. *Homo iusto Dei impulsu agit, quod sibi non licet, id est, homo peccat, Deo impellente.*

80 Contrarium docet in Instructione contra Libertinos cap. 14. cum ait; *Temulenti isti, à Deo omnia fieri perstrepen tes, eum mali authorem constituant.* Et infra: *Cum Deo nihil magis proprium sit, quam sua bonitas, ipsum à se abnegari oporteret, & in Diabolum transmutari, ut malum efficeret, quod ei ab illis tribuitur.* Et in præfatione libri de æterna prædestinatione: *Inter omnes pios fixum hoc esse debet, non esse, cur suis peccatis socium homines Deum adscribant.* Et in fine eiusdem libri: *Etiam si rerum omnium prima causa sit Dei voluntas, peccati tamen eum esse authorem nego.*

81 Secunda est de diuinitate & essentia Christi. Nam ad c. 1. Ioan. v. 1. docet Christum esse verum Deum, & eiusdem essentiaz cum Patre. Sic enim scribit: *Hoc exordio aeternam Christi diuinitatem prædieat, ut sciamus aeternum*

num esse Deum, qui manifestatus est in carne, Et infra: Ne quis de diuina Christi essentia scrupulus maneat, clarè afferit esse Deum. Iam cum unicus sit Deus, Christum eiusdem esse cum Patre essentia, & tamen in aliquo differre sequitur. Sed de hoc secundo membro iam dictum est. Quod ad essentiæ unitatem spectat, nimia fuit Arrij improbitas, qui ne aeternam Christi diuinitatem faturi cogeretur, filium nescio quem Deum esse garriebat.

82 Contrarium alibi insinuat. Nam in libro contra Valentimum Gentilem, hæc tria afferit. 1. Nomen Dei per excellentiam ad solum Patrem pertinere. 2. Solum Patrem propriè dici Creatorem cœli & terræ. filium improprie. 3. Impropriam ac duram esse locutionem symboli Nicæni, *Deum de Deo, lumen de lumine*. Ex quibus omnibus sequitur, Patrem filio maiorem & excellentiorem esse: ac proinde filium non esse verum Deum, nec Patri consubstantiale.

83 Similiter lib. 2. inst. cap. 14. §. 3. in eandem sententiam sic scribit: Sed omnium clarissime veram Christi substantiam enarrant loci, qui utramque simul naturam comprehendunt, quales in Euangeliō Ioannis extant quamplurimi. Siquidem nec deitatis singulare, nec humanitatis fuit, sed virtusque simul, quod illic legitur, potestatem accepisse à Patre remittendi peccata, suscitandi quos velut iustitiam & sanitatem largiendi. Addit eodem sensu intelligi, quod Apostolus scribit, 1. Cor. 15. 28. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subieciet sibi omnia. Et tandem concludit his verbis: Si igitur nobis hec recte intelligentia clavis, neque de natura divina, neque de humana simpliciter dici, que ad Mediatoris officium spectant. Ex his verbis ita concluso: Qui alteri subiectus est, & ab eo potestatem accipit, necessario debet esse minor seu inferior: At Christus secundum utramq;

naturam Deo Patri subiectus est , & ab eo potestatem remittendi peccata accipit , vt fatetur hic Caluinus: Ergo Christus secundum utramque naturam est minor seu inferior Patre: Ergo secundum neutram natu- ram est illi æqualis & consubstantialis.

84 Denique illud Ioan. 10.30. *Ego & Pater unū sumus* eodem sensu interpretatur, quo Arriani. Sic enim scribit in commentario: *Abusi sunt hoc loco veteres, ut probarent Christum esse Patri ὥμερον. Neque enim Christus de unitate substantiæ disputat, sed de consensu, quem cum Patre habet.* Hoc Caluini testimonio usus est Georgius Blandrata in Albana disputatione, ad confirmandam Arrianorum expositionem, ut referunt Cardinalis Bellarminus prefatione in libros de Christo & Gregorius de Valentia lib. 1. de Trinitate cap. 9.

85 Tertia Contradiccio est de Persona Christi. Nam ad cap. 1. Ioannis, v. 14. rectè docet cum Catholicis, unam in Christo personam , & duas naturas esse. *In hoc fidei capite, inquit, duo præcipue tenenda sunt: sic in unam personam coatusse duas in Christo naturas, ut unus atq[ue] idem Christus verus sit Deus & homo. Alterum vero, non obstat personæ unitatem, quin distinctæ naturæ maneant, ita ut diuinitas, quidquid sibi proprium est retineat humanitas etiam seorsim habeat, quod in eam competit.*

86 Alibi contrariam docet cum Nestorio , afferens duas esse personas in Christo , sicut sunt duæ naturæ: **Vnam Verbi, alteram Mediatoris:** hanc humanā, illam diuinam. Sic enim scribit lib. 1. inst. cap. 13. §. 9. *Etsi autem Mediatoris personam nondum attinco, sed differo in eum locum, ubi de redemptione agetur, &c. Et §. 23. Excipiunt, si vere est Dei Filius, absurdum esse, censeri personæ Filium. Ego utrumq[ue] verum esse respondeo, Dei nempe esse Filium quia Sermo est à Patre ante sæcula genitus (nondum enim de Mediato*

diatoris persona nobis sermo est) & tamen explicandi causa habendam esse rationem personæ, ut nomen Dei non simpliciter sumatur sed pro Patre. Et §. 24. Nam ex quo manifestatus est in carne Christus, Filius Dei vocatur, non tantum quatenus ante sæcula genitus ex Patre fuit æternus Sermo, sed quia M:diatoris suscepit personam. Et lib. 2. cap. 14. §. 3. Hic excusari non potest veterum error, qui dum ad Mediatoris personam non attendunt, &c. In his omnibus testimoniosis distinguunt personam Mediatoris à Verbo seu Sermone; & ait personam Verbi esse in æterno, non item personam Mediatoris.

87 Caluinum secutus est Beza, qui in libro contra Brentium de omnipotentia carnis Christi, ait: *In Christo duæ sunt uniones hypostatica: una inter corpus & animam, dum sibi personaliter iunguntur: altera inter Verbum & hominem, vi simul conueniunt ad unum constitendum Christum.* Quem errorem, tametsi monitus à Iacobo Smidelino Lutherano, non correxit, sed magis explicauit in libro contra Smidelinum de vnione hypostatica, assérendo, *vere corpus & animam personaliter coniungi, & personam constituere humanam.*

88 Quarta Caluini contradic̄tio est de Limbo Patrium, in quo iusti veteris Testamenti, tāquam in carcere tenebantur ante aduentum Christi. Nam hunc carcerem admittit cum Catholicis contra Anabaptistas in Psychopannichia, cum ait: *Nec vero miretur quisquam includi carcere sanctos Patres, qui redemptionem Christi expectabant.* Eundem negat lib. 2. inst. cap. 16. §. 9. his verbis: *Nescio, qui factum sit, ut posteritas locum putaret esse subterraneum, cui affingit nomen Limbe.* Sed hec fabula, tametsi magnos authores habet, nihil tamen quam fabula est. Nam concludere in carcere mortuorum animas, puerile est: Christi animam illuc descendere,

ut eas manu mitteret, quid opus fuit?

89 Quinta est de Ecclesia. Nam in parvo Catechismo docet, hanc symboli articulum, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, debere intelligi de sola Ecclesia inuisibili, quæ est prædestinatorum. Sic enim habet: *Sequitur quarta pars, in qua confitemur nos credere unam sanctam Ecclesiam Catholicam.* Et statim explicans, de qua Ecclesia loquatur, sic addit: *Quid est Ecclesia? Est corpus ac societas fidelium, quos Deus ad vitam aeternam prædestinavit.* Contrarium docet lib. 4. inst. cap. 1. §. 2. afferens non tantum de inuisibili, sed etiam de visibili, in qua reprobi & prædestinati permixti sunt, intelligendum esse. *In Symbolo;* inquit, *vbi confitemur non credere Ecclesiam id non solum ad visibilem, de qua nunc agimus, refertur, sed ad omnes quoque electos Dei, in quorum numero comprehenduntur etiam qui morte defuncti sunt:*

90 Sexta est de Ecclesia visibili. Nam lib. 4. inst. cap. 1. §. 4. docet, neminem saluari posse extra Ecclesiam visibilem. Verum, inquit, quia nunc de Ecclesia visibili disserere proposuum est, discamus vel uno Matris elogio, quam utilis sit nobis eius cognitio, imo necessaria, quando non aliis est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiatur in utero, nisi pariatur, nisi nos alat suis umberibus, denique sub custodia & gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali, similes erimus Angelis. Et ibidem: *Adde, quod extra eius gremium, nulla est speranda peccatorum remissio, nec illa est speranda peccatorum remissio, nec illa salus.* Contrarium docet eodem cap. §. 7. & cap. 16. §. 24. & 25. Nam priori loco afferit, neminem admitti in Ecclesiam visibilem, nisi per Baptismum: posteriori, filios fidelium saluari sine Baptismo. Vnde sequitur, aliquos saluari extra Ecclesiam visibilem.

91 Septima est de beatitudine Sanctorum. Nam aliquando affirmat Santos post hanc vitam statim esse in

in cœlesti beatitudine : aliquando negat afferens eos expectare usque ad extremum diem iudicij : aliquando dicit stultum ac temerarium esse de hac re disputare , eo quod penitus incerta sit. Primam partem tradit in Psychopannychia , ubi explicans illa verba Apostoli, 2. Corinth. 5.1. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod edificationem ex Deo habemus in cœlis , &c.* sic habet : *Hæc verba sine interprete loquuntur, nos sensueros Dei præsentiam, cum ab hoc corpore separabimur.* Et ibidem : *Electi Dei , qui ex hac vita transierunt, Deo fruuntur ad satiatem: circa fastidium.* Et in cap. 1. Epistolæ ad Philippenses, v. 23. *Paulus aperte testatur, nos frui Christi præsenzia , cum dissoluimur.* Et in cap. 5. posterioris ad Corinth. v. 8. *Nihil melius , quam migrare à corpore, ut perueniamus ad Dei contubernium, & illius præsentia vere palamque fruamur.*

92. Alteram , quæ huic plane contraria est , tradit lib. 3. inst. cap. 25. §. 6. his verbis. *Scriptura ubique inbet pendere ab expectatione aduentus Christi, & gloriæ coronam eosque differt.* Et ibidem : *Animæ piorum , militia labore perfunditæ , fruitionem promissa glorie expellant.* Et in Psychopannychia : *Expectant quod nondum habent , & suam mercedem eminus vident.*

93. Tertiam tradit lib. 3. inst. cap. 25. §. 6. *Valde , inquit, se torquent multi disputando, quem locum occupent , & an cœlesti gloria fruantur , nee ne.* Atqui stultum & temerarium est de rebus incognitis altius inquirere , quam Deus nobis scire permittat. Et paulo post: *Omnia tenentur suspensa, donec Christus appareat Redemptor.*

94. Octaua contradic̄tio est de Prædestinatione. Nam s̄æpe afferit , electionem ad vitam & prædestinationem ad mortem factam esse ex mero Dei beneplacito , nullo respectu bonorum aut malorum operum,

vel ut alij loquuntur, ante prævisionem cuiuscunque boni aut mali operis, & peccati primi parentis. Sic enim loquitur lib.3. inst. cap.22. §.3. *Ecce quicunque regnat hoc Dei placitum, nulla in considerationem veniunt opera.* Et cap.23.2. *Homines nudo Dei arbitrio, cura proprium meritum in eternam mortem pradestinamus.* Et plura ibidem in candein sententiam.

95 At contrarium sequitur ex duobus principiis, quæ alibi tradit. Vnum est, quod electio ad vitam facta sit in Christo, & fundata in meritis Christi. (lib.3. cap.24. §.5.) Alterum, quod Christus non fuisset venturus in carne, si Adam non peccasset. (lib.2.c.12. §.4.) Vnde sequitur, prius præuisum fuisse peccatum Adami, quam decretam Christi incarnationem. Si ergo electio ad vitam facta est ante præuisum peccatum, ut vult Calvinus, multo magis ante decretam Christi incarnationem. Quomodo ergo fieri potuit in Christo, & in meritis Christi fundari? Hæc non cohærent.

96 Nona est de libero arbitrio. Nam lib.1. inst. c.15. §.8. docet cum Catholicis, hominem in statu innocentiae habuisse liberum arbitrium, atque adeo libere, non necessario peccasse. In hac, inquit, integritate libero arbitrio pollebat homo, quo si vellet, adipisci posset vitam eternam. Et infra: Potuisse igitur Adam stare, si vellet, quando non nisi propria voluntate cecidit. Et iterum: Libera fuit electio boni & mali.

97 Contrarium docet lib.3. cap.23. §.6. & 8. Nam priori ait, omnia fieri Deo volente & ordinante Posteriori, voluntatem Dei esse rerum necessitatem. Vnde sequitur, omnia fieri necessario, quæcumque fiunt. Necesario igitur peccasse Adamum, non libere. Quod etiam diserte fatetur Calvinus eodem cap. §.4. cum ait: Fato sane in hanc, qua nunc illigati sunt conditionis miseriam,

Dej

Dei voluntate decidisse uniuersos filios Adæ. Et §.7. Disertis verbis hoc extare negant, decretum fuisse à Deo, ut sua defectione periret Adam. Et infra: Decretum quidem horribile fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præscuerit Deus, quem exitum esset habiturus homo: & ideo præscuerit, quia decreto suo sic ordinauerat. Et iterum: Nec absurdum videri debet, quod dico, Deum non modo primi hominis casum præuidisse, sed arbitrio quoque suo dispergisse.

98 Decima est de fide iustificante. Nam in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 6. can. 9. docet fidem esse causam iustificationis. *Solam*, inquit, *fidem iustificationis causam esse intelligimus*. Et can. 11. *Vim iustificandi ac facultatem fidei in solidum vindicamus*. Contrarium docet lib. 3. inst. cap. 13. §. 5. cum ait: *Quoad iustificationem, res est mere passiva fides, nihil atferens nostrum ad conciliandam Dei gratiam*.

99 Undecima est de certitudine iustitiae. Nam lib. 3. c. 2. §. 16. docet omnes fideles certos esse de sua iustitia & remissione peccatorum. *Vere*, inquit, *fidelis non est, nisi qui confidenter se regni cœlestis heretem gloriatur*. Et in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 6. cap. 10. *Certo statuimus, nobis remissa esse peccata*. Et can. 15. *Sue electionis certos esse conuenit uniuersos fideles*. Contrarium docet lib. 3. inst. cap. 2. §. 10. *Tot*, inquit, *vanitatis recessus habet, tot mendacij Litebris scatet cor humanum, iam fraudulenta hypocrisi tectum est, ut seipsum sepe fallat*. Et §. sequenti: *Experientia ostendit, reprobos interdum simili fere sensu, atq[ue] electos affici, ut ne suo quidem iudicio quicquam ab electis differant*.

100 Duodecima est de iustitia inhærente. Nam in Antidoto Concilij Tridentini sess. 6. cap. 8. docet, iustitiam inhærentem, quam Catholici admittunt, non esse admittendam. *Falsum*, inquit, *esse contendō, ullam*

*iustitiae partem in qualitate sitam esse vel habitu , qui in nobis
resideat.* Et lib.3. inst. cap. 11. §. 23. *Vides, non in nobis sed in
Christo esse institutam nostram.* Contrarium docet in libro
de necessitate reformatæ Ecclesiæ, his verbis : *Nun-
quam reconciliamur Deo , quin simul donemur iustitia inha-
rente.*

101. Decimatertia de necessitate Baptismi aquæ.
Nam lib. 4. inst. cap. 15. §. 19. fatetur extare præceptum
Christi de Baptismo aquæ. *Quasi , inquit , esset res con-
temptibilis, ex Christi præceptio , aqua baptizari , &c.* Quod
quidem præceptum non aliunde potest colligi, quam
ex illo, Ioan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spi-
ritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* At Caluinus
in Commentario illius loci, negat ibi fieri mentionem
Baptismi aquæ. *Nullo modo adducor , inquit, ut Christum
de Baptismo verba facere credam.* Et ibidem : *Spiritum &
aquam pro eodem posuit.* Vbi obiter notandum est, con-
tradictionem Caluini non consistere in his duabus
propositionibus; Baptismus est necessarius ex præcep-
to Christi : Baptismus non est necessarius ex præcepto
Christi: sed in his ; Baptismus aquæ est necessarius ex
præcepto Christi; Baptismus aquæ non est necessarius
ex præcepto Christi.

102. Decimaquarta de Eucharistia. Nam in cap. 11.
prioris ad Corinthios docet, corpus Christi esse præ-
sens in Eucharistia, *Christus, inquit , visibile illud signum
nobis porrigendo, una dat etiam nobis suum corpus.* Néq; enim
fallax est , qui vacuis figuris nos ludat. *Proinde illud mihi est
extra controversiam , veritatem hic cum suo signo coniunctam
esse, id est, corpus Christi cum symbolo panis coniunctum
esse.* Et li. 4 inst. ca. 17. §. 10. *Omnino isthac piis tenen-
da est regula , ut quoties symbola vident à Deo instituta, illic
rei signatae veritatem adesse certo cogunt , ac sibi persua-
deant.*

dant. Et §. 32. In sacra cœna iubet me sub symbolis panis ac vini corpus & sanguinem suum sumere, manducare ac bibe-re. Nihil dubito, quin & ipse & erè porrigit, & ego recipiam. Et in libello de Cœna Domini, Necesse est, nos in cœna vere corpus & sanguinem Christi recipere. Et ibidem: In-telligimus Christum nobis in cœna veram propriamque Corpo-ris & Sanguinis sui substantiam donare.

103 Contrarium docet in consensione de re Sacra-mentaria, vbi in fine sic ait: *Cum signa hic in mundo sint, oculi cernantur, palpentur manibus; Christus quatenus ho-mo est, non alibi, quem in cœlo querendus est.* Et ibidem: *Quia tamen corpus Christi finium est, & cœlo vel loco conti-netur, necesse est, à nobis tanto locorum interuallo distare, quanto cœlum abest à terra.*

104 Omitto alias contradictiones, quæ passim in Caluini scriptis occurunt. Nam ex iis, quæ iam al-latae sunt, satis constat, in præcipuis fidei Christianæ articulis nihil certi statui posse ex doctrina Calui-ni, sed omnia in utramque partem dubia esse ac per-plexa. De qua re, ut intelligo, ex professo scripturus est R.P. Andreas Eudæmon Ioannes, in Refutatione Institutionum Caluini, quam præ manibus habet. Nec minor contradictionum licentia est apud eos, qui Caluinianam sectam publicè profitentur: adeo, ut vix paucos inuenias, qui vel in articulo de Deo, vel de Christo, vel de iustificatione, vel de libero arbitrio, vel de prædestinatione, vel de aliis similibus inter se conueniant. Omnia dissidiis & contentionibus plena sunt.

X. CONCLV SIO.

*Ecclesia Reformata non habet Ministros
bonæ famæ.*

105 **D**Vos enim habet præcipuos, Lutherum & Caluinum. Vt ergo fuit infamis. Et quidem de Lutherò certum est. Nam constat illum multis annis fuisse Monachum & Sacerdotem ; ac proinde dupli castitatisvoto obligatum. Cōstat violasse vtrumq; votum, & relicto Monasterio, sacrilegas nuptias cum Moniali contraxisse ; ac reliquo viræ cursu, in damnato concubitu perseverasse. Quæ sine dubio magna infamia est : quod sic ostendo.

106 Primo, quia is iure Cæsareo infamis est, qui nuptias cum ea constituit, quam vxorem ducere vel non potest, vel fas non est. (L. Quid ergo, ff. De his, qui notantur infamia) At Lutherus constituit nuptias cum Moniali, quam vxorem ducere nec poterat, neç fas erat : Ergo iure Cæsareo fuit infamis.

107 Secundo, simplex adulterium, in quo quis deprehenditur, parit infamiam personæ (L. Palam, ff. De ritu nuptiarum) Ergo multo magis adulterium cum sacrilegio coniunctum, quale committitur à Monacho & Moniali. Hoc enim simplici adulterio deterius est, iuxta illud Augustini, lib. de bono viduitatis cap. 11. *Plane non dubitauerim dicere, lapsus & ruinas à castitate sanctiore, que vovetur Deo, adulteriis esse peiores.* Quod sic probat : *Si enim ad offensionem Christi pertinet, cum membrum eius fidem non seruat marito ; quanto grauius offenditur, cum illi ipsi non seruatur fides, in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum?* q.d. si fœmina Christiana offendit Christum, quando non seruat fidem marito

marito, cui promisit matrimonium; quanto magis offendit, si non seruat fidem ipsi Christo, cui continentiam promisit?

108 Et hoc alibi confirmat exemplo Romanorum, qui grauius puniebant Vestales virgines in stupro deprehensas, quam alias mulieres adulteras. Sic enim scribit lib. 3. de ciuitate Dei cap. 5. *Nam & ipsi Romani antiqui in stupro detectas Vestales Sacerdotes, vias etiam defodiebant: adulteras autem foeminas, quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant: usque adeo grauius, quæ putabant adyta diuina, quam humana cubilia vindicabant.* Et hinc sumitur tertium argumentum: Si enim virginis, quæ Vestæ promiserant castitatem, non modo infames erant, si castitatem violarent, sed etiam, quæ summa infamia est, viue in terram defodiebantur; quid statuendum est de Monachis & Monialibus, qui Christo castitatem promiserunt, & promissam violarunt? Hoc fecit Lutherus cum sua Moniali. Igitur plusquam infamis censiū debet.

109 Venio ad Caluinum, quem similiter infamem fuisse, sic ostendo. Is iure & facto infamis est, qui ob graue flagitiam publico iudicio condemnatur (L. 1. ff. De his, qui notantur infamia) At Caluinus Nouioduni in Picardia, propter crimen Sodomiae, publico iudicio condemnatus fuit ad poenam ignis (quæ tamen poena, per intercessionem Episcopi, in vstitutionem ferri carentis mutata est.) Ergo iure & facto fuit infamis.

110 Historiam rei gestæ describit Hieronymus Bolognus Medicus Lugdunensis, in vita Caluini, cap. 5. his verbis: *Nihil iam de nativitate dicam, quæ in annum 1509. incidit, quo Nouioduni Picardie in lucem editus est. Neque etiam commemorabo de patre eius Gerardo Caluino aliud,*
misi

ensi impium hominem fuisse, & in Deum maxime blasphemum, quod de illo testimonium præcipui aliquot ciues Nouiodunenses interrogati perhibuerunt: Notariusque Legalis in publicas tabellas retulit, quarum exemplum cuidam Bartelier, Dominij Senatusque Genevensis Secretario, Nouiodunum huiusce rei gratia, ut in vita atque mores Caluini inquireret, & qualis adolescens fuisse, exploraret, præcipue missio, est imperitus. Quod ego testimonium publicum apud hunc vidi, & in ipsis met manibus inspexi, & idcirco, ut rem verissimam commemorare possim. In quo quidem testimonio etiam hoc erat adiectum, Caluinum, cum curatum illic beneficium, & aliud Sacelli cuiusdam Sacerdotium obtineret, Sodomitici sceleris coniunctum in vita discrimin venisse, ut igni, quæ huiusmodi sceleris ordinaria & legitima est pœna, concremaretur, Ceterum Episcopi urbis commiseratione pœnam moderatam, ut cauterio candens eius humero lilyum inureretur. Quo probro confusus, neque talem ignominiam ferens, utrumque Ecclesiasticum beneficium in Pastorem Nouiodunensem transstulit, & ab eo certa pecunie summa accepta, in Germaniam, deinde in Italiam profectus est, fortuna, si quam sibi propitiata inuenire posset, se permittens. Ceterum silentio præterire nolo, Nouioduno discedentem, cognomine immutato, Caluinum se pro Cannino vocitasse, &c.

111 De eodem sic scribit Thomas Stapletonus in promptuario Catholico, sabbato hebdomadæ 3. in Quadragesima: Inspiciantur etiam adhuc hodie Civitatis Nouiodunensis in Picardia scrinia, & rerum gestarum monumenta. In illis adhuc hodie legitur, Ioannem Caluinum Sodomiae coniuctum, ex Episcopi & Magistratus indulgenia, solo stigmate in tergo notatum, urbe excessisse. Nec eius familia honestissimi viri adhuc superstites impetrare haec tenus potuerunt, ut huius facti memoria, quæ toti familiae notam aliquam inurit, è ciuicis illis monumentis ac scrinitis eraderetur.

Videri

iur. Videri etiam potest Iulius Brigerus in Floribus Caluinistarum, Edmundus Campianus in Rationibus quas Academicis in Anglia obrulit, Laurentius Surius ad Annum Christi 1538. Reginaldus lib. 2. Caluino-turcismi cap. 11. & alij.

112 Taceo de infamia aliorum prædicantium, qui Lutherum & Caluinum imitati sunt. Nec enim neceſſe est, eiusmodi sordes ac spurcitas ad nauseam inculcare. Hoc solum nunc moneo, quod ſequenti conſuſione fuiſus explicandum eſt, nullo modo veriſimile videri, huiusmodi homines ad Eccleſiam Reformationam à Deo miſſos ac deſtinatos eſſe. Non enim adulteri, ſacrilegi, ſtigmatici, ſed viri Apoſtolici ad tam faſcram functionem adhibendi ſunt: de quibus intelligi poſſit, quod Christus in Euangeliō ait: *Vos eſtis lux mundi: vos eſtis ſal terra.*

X I. C O N C L V S I O.

Ministri Eccleſiae Reformatæ non ſunt legitime miſſi & vocati.

113 **C**erte Lutherus & Caluinus, qui inter illos Primatum tenent, non ſunt legitime vocati, ſed ſeipſos intruferunt. Quod ſic oſtendo. Sicut in Republica ciuili nemo pro ſuo arbitrio potest ſibi arrogare potestatem gubernandi populum, abrogandi veteres leges & consuetudines, totum politiæ ſtatutum mutandi ac reformandi: ſed neceſſe eſt, ut legitimo titulo eam potestatem accipiat: ſic etiam in Eccleſia ſeruata proportione, faciendum eſt. Rurſum, ſicut illi, qui abſque legitimo titulo arrogant ſibi potestatem regiminis politici, merito appellari ſolent tyrapni: ſic

etiam illi, qui absque legitimo titulo usurpat potestatem docendi & dirigendi populum in fide ac religione, vocantur fures & latrones, iuxta illud Ioan. 10.
1. Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. At Lutherus & Caluinus, absque legitimo titulo arrogarunt sibi potestatem docendi populum in fide & religione, veteres canones & consuetudines abrogandi, atque adeo totum Ecclesiae statutum ac ordinem mutandi & reformati: Ergo non fuerunt legitime missi & vocati, sed seipso intruserrunt: nec per ostium in ouile ingressi sunt, sicut boni Pastores; sed aliunde ascenderunt, sicut fures & latrones.

114 Maior propositio manifesta est. Minorem probbo, quia duo tantum sunt tituli legitimi, quibus in Ecclesia Christi confertur alicui potestas docendi & reformati populum in religione: unus ordinarius; alter extraordinarius. Ordinarius est, quando confertur alicui talis potestas à Deo, mediante electione, vel concessione eorum hominum, quorum interest: quo pacto confertur Parochio ex concessione Episcopi; Episcopo ex concessione Pontificis; Pontifici, mediante electione Cardinalium. Extraordinarius est, quando à solo Deo immediate confertur, quo pacto collata est Mosi, Prophetis, Apostolis. At Luthero & Calvino neutro modo collata est. Non priori, quia quando Lutherus cepit primum oppugnare Indulgentias & orationem pro defunctis (quod erat initium Reformationis Lutheranæ) omnes Prelati & Principes, tam seculares, quam Ecclesiastici, erant Catholicæ. Nullus autem Catholicus dedit illi potestatem oppugnandi Indulgentias, & orationem pro defunctis: Ergo neque inchoandi Reformationem religionis. Nec posteriori,
quia

quia Deus immediate non misit Lutherum & Calvini-
num ad hoc opus suscipiendum. Quod variis rationi-
bus confirmari potest.

115. Prima Ratio. Nemo hactenus immediate à Deo
missus est ad docendum aut reformandum populum
in religione, cuius missio non aliquo evidenti miraculo
Io authentice comprobata sit ; nec populus tenetur
alicui credere, afferenti à Deo se missum esse, nisi au-
thentice probet se missum esse. At Lutherus & Calvini-
us nullo vñquam evidenti miraculo authentice pro-
barunt se missos esse: Ergo reuera missi non sunt, nec
populus tenetur credere, missos esse. Maior proposi-
tio patet inductione, quia Moses, Prophetæ, Apostoli,
Christus ipse, suam missionem miraculis ac prodigiis
confirmarunt.

116. Et quidem de missione Mosis sic loquitur Scri-
ptura, Exodi 3.1. *Moses pascebat oves, & apparuit ei Do-
minus in flamma ignis, & ait: Veni, & mittam te ad Pha-
raonem, ut educas filios Israel de Aegypto, &c.* Respondens
autem Moses ait: Non credent mihi, neq; audiensi vocem meā,
sed dicent: Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum:
*Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. Dicitq;
Dominus: Proince eam in terram. Projecit, & versa est in Co-
lubrum. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & ap-
prehende caudā eius. Extēdit & tenuit, versaq; est in virgam.
Ut credant, inquit: quod apparuerit tibi Dominus Deus pa-
trum suorum. Dixitq; Dominus rursū: Mitte manum tuā in
sinum iuum. Quam cum misisset in sinum protulit leprosa in-
star niuis. Retrahe, ait, manum tuam. Retraxit & protulit ite-
rū, & erat similis carni reliqua. Si non crediderint, inquit, tibi,
neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi
sequentis. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint,
neque audierint vocem tuā, sume aquam fluminis, & effunde*

*eam super aridam , & quidquid hauseris de fluvio , vertetur
in sanguinem , &c.*

117. Ex his verbis perspicuum est, missionem , quæ immediate à solo Deo fit, per se non sufficere, nec acceptari à populo , nisi evidenti miraculo , vel etiam pluribus, si opus est, à Deo confirmata sit. Hæc autem confirmatio ex dupli causa necessaria est. Primo ex parte eius , qui mittitur. Si enim afferat quidem , à Deo se missum esse, sed tamen probare non possit, tanquam impostor repelletur. Secundo , ex parte eorum, ad quos mittitur. Nam & illi , si prudenter rem æstimant non temere credent à Deo missum esse, nisi probari id possit : Et, si deficiat probatio, non alio, quam seductoris loco , hominem habituri sunt. Hoc significauit Moses , cum dixit : *Non credent mihi , néque audiunt vocē mēā, sed dicent non apparuit tibi Dominus.* Idem solet contingere in missione humana. Nam si Imperator mittat aliquem Moguntiam aut Coloniam , ut Commissarium agat , non audebit comparere , nec si comparet, acceptabitur , nisi exhibeat authenticum testimonium, quo doceat , auctoritate Imperatoria se missum esse.

118. Quod dixi de Mose , de aliis quoque Prophetis dicendum est. Omnes suam missionem miraculis apud populum confirmarunt. Et qui id facere potuerunt , pro legitimis Dei Ministris habiti sunt : qui se eus , tanquam impostores reiecti , Multa eius rei existant exempla. Ex iis pauca accipe. Tempore Achab Regis, fuit dissertatio inter Heliam & Prophetas Baal. Tam hi, quam ille legitime se missos affirmabant. Quo cument? Helias conuocato vniuerso populo , qui in utramque partem claudicabat , non alio arguento vñus est , quam quod diceret , se suam missionem euidenti

denti miraculo confirmare posse: Prophetas Baal non posse. Quod etiam factum est hoc modo. Duo bones in frusta concisi, & supra ligna positi sunt in holocaustum: alter pro Helia, alter Prophetis Baal. Hi inuocato nomine Deorum suorum, non potuerunt de cælo impetrare ignem, quo holocaustum consumeretur. Helias, inuocato Deo Israel, impetravit. Itaque holocaustum ab eo positum, igne de cælo misso, consumptum est. Quo miraculo permotus populus, interfectis Prophetis Baal, velut impostoribus, Heliam tanquam à Deo missum acceptauit. (3. Reg. 18.) Auferunt fidem & alia miracula, quæ ab eo patrata sunt.

119 Heliam imitatus est Helisæus, qui & ipse variis miraculis authoritatem sibi astruxit. Porro reliqui Prophetæ, qui de venturo Christo vaticinatsunt, sua quoque vaticinia euidenter comprobarunt. De quibus Rupertus in Prologo in Oseam: *Cum, inquit, Prophetæ mitterentur ad prænunciandum de longinquo Christi aduentum, simul etiam de propinquo datum vel iniunctum est illis, prophetare illud, in quo ciuius veraces comprobari possent, scilicet imminentem ab Assyriis Israëli captiuitatem, itemque instantem Iude quoque Babylonis transmigrationem, & præterea nonnulla etiam minora, quæ literis eorum legimus inserta.* Cum igitur cito euenisset captiuitas seu transmigratio illa, sicut per illos veritas prophetica prædixerat, palam constiuit, quod veraciter fuissent locuti in nomine Domini, & quod Dominus misisset eos. *Aīg₃* ita completa prophetæ pars, illud quoq₃ quod reliquum vel maximum erat de promissione & aduentu Messie, verum fore conuincebat.

120 Similia habet Hieronymus in c. 37. Isaiae, super illa verba, *Tibi autem hoc eru signum: ubi sic scribit: Ideo vel maxime Propheta apud populum sermonum suorum*

babebant fidem, quia non solum de his, que multa post secula futura erant, sed etiam quae in continentia, & post non grande temporis spacium essent implenda, memorabantur; ut quod intra biennium & Rex Assyrius interiret, & urbi Hierusalē securitas redderetur. Vide eundem in c. 7. Amos, in principio, & Chrysostomum hom. 11. in Matthæum.

121 Idem est de Apostolis. Nam & illi suam missionem multis signis & prodigiis coram vniuerso mundo contestati sunt. Res omnibus nota est. Locuti sunt variis linguis in die Pentecostes: demona expulerunt, mortuos ad vitam reuocarunt: omnia morborum genera vel verbo, vel umbra, vel semiunctio curarunt. Et ut semel complectar omnia, *Prædicauerunt ubique, Dominio cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* (Marci 16. 20.) Quod etiam speciatim de se testatur Paulus, Rom. 15. 19. cum ait, se gentibus Euangelium persuasisse in virtute signorum & prodigiorum. Et 2. Cor. 12. 12. *Signa, inquit, Apostolatus mei facta sunt super vos in signis, & prodigiis, & virtutibus.*

122 Et quid dico de Apostolis? Ipse met Christus nō aliter persuadere potuit; à Deo Patre se missum esse, nisi per miracula. Habebat quidem ipse pro se vaticinia omnium Prophetarum. (Lucæ 24. 27.) Habebat testimonium Iohannis Baptistæ: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Habebat testimonium Patris cœlestis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audie.* Et tamen inter tot missionis suæ præsidia, adhuc opus erat miraculis. Nec alio potentiori, quam miraculorum subsidio usus est apud Iudeos, ut se filium Dei comprobaret. De quo ipse sic loquitur, Ioan. 10. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Pare.* Et cap

cap. 14. 11. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est. Alioquin propter opera ipsa credite.

123 Venio nunc ad Lutherum & Caluinum. Hi tanquam noui Prophetæ & Apostoli à Deo missi, nouam doctrinam populo obtruserunt, ac totius Ecclesiæ Reformatores se esse professi sunt. At quo miraculo id comprobarunt? Nullo, nullo penitus. Quæ ergo insania, quis stupor est, id credere, quod probari non potest: Certe, qui prudenter rem æstimat, sic tacitus apud se ratiocinabitur: Magna omnino res est affirmare, quod Lutherus & Caluinus affirmant, Ecclesiæ Christi multis iam sæculis in fide errasse: Maiores nostros quotquot in ea vixerunt, damnatos esse: nos omnes, qui in ea iam viuimus, in tenebris & errore versari: neminem, qui in ea maneat, saluari posse. Hæc sine dubio leuia non sunt. Et quia noua, non temere credenda. Haec tenus creditum est, Ecclesiam à Christo fundatam esse supra firmam petram: esse columnam & firmamentum veritatis: habere infallibilem Spiritus Sancti assistentiam: portas inferni aduersus eam non præualituras. Et sic docuerunt antiqui Patres: sic maiores nostri ab illis acceperunt: sic communii fideliam sensu ac consensu approbatum est. Quomodo ergo contrarium credi nunc potest? Quomodo Lutherus & Caluinus, qui contrarium credi oportere affirmant, vniuerso Orbi id persuadebunt? Nullo miraculo, nullo diuino testimonio, nullo evidenti signo id haec tenus præstiterunt. Fatuus ergo sim, si temere illis assentiar. Nec verisimile est, plus illis, quam Prophetis & Apostolis, priuilegij concessum esse. Si Prophetis, si Apostolis, si Christo ipsi creditū non est, nisi evidēti miraculo se missos esse cōuincerent: quomodo Lutherus & Caluinus credā, qui nullo modo cōuincere id possunt?

324 Dicent forte aduersarij, satis euidens diuinæ missionis signum esse, quod infiniti prope homines, statim à principio, doctrinam Lutheri & Caluini amplexi sunt. Inde enim colligi posse, doctrinam fuisse efficacem, & non nisi diuinitus inspiratam. Sed frustra. Nam etiam in veteri Testamento, infiniti prope homines adhærebant falsis Prophetis: Et tamèn inde non poterat colligi, vel ipsos à Deo missos, vel eorum vaticinia diuinitus fuisse inspirata. Còtrarium potius colligitur, quòd sic ostendo. Inter veros & falsos Prophetas hoc erat discrimen. Veri prædicebant iram & vindictam Dei propter peccata hominum, euersiones vrbiū, direptionem bonorum, captiuitates populo-rum, & similia incommoda, quæ amatoribus huius mundi ingrata sunt. Falsi omnia contraria vaticina-bantur, vt pacem, victoriam, fœlicitatem, rerum om-nium abundantiam, & ideo à plerisque libenter audie-bantur. De his loquitur Ieremias c. 14. v. 13. *Et dixi, Domine Deus: Prophetæ dicunt eis, Non videbitis gladium, & famæ non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto.* *Ei dixit Dominus ad me: Falso Prophetæ vaticinan-tur in nomine meo: non misi eos, & non præcepi eis, neque locu-mus sum ad eos. Visionem mendacem, & diuinationē fraudu-lentam, & seductionem cordis sui prophetant vobis.* *Ideo hæc dico Dominus de Prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes; Gladius & famæ non erit in terra hac: in gladio & fame consumentur Prophetæ illi.* Vide piu-ra, tum alibi, tum 3. Reg. 22.

325 Simile est de veris & falsis Apostolis. Veri Apo-stoli, qui à Christo missi sunt, proponunt res difficiles, arduas, carni ac sensui humano repugnantes. Et per-petuo clamant: *Pœnitentiam agite: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: Abstinete à carnalibus desideriis:*

deris: *Sobry estote & vigilae.* At Lutherus & Caluinus, qui veri Apostoli non sunt contrario modo procedunt. Abrogant ieiunia, oderunt castitatem; concedunt libidines; & quidquid carni allubescit. Eorum vox est, *Sola fides iustificat: Bona opera non prosunt: Decalogus obseruari non potest: Crescite & multiplicamini: Si non vult uxor, veniat ancilla.* Hanc vocem plerique libentius audiunt, quam vocem Christi & Apostolorum. Ad quos spectat illud Rom. 8.5. *Qui secundum carnem sunt, que carnis sunt sapiunt.*

126 Atque hinc apparet, omnia conuenire Luthero & Caluino, quæ de falsis Prophetis scripta sunt. Nam primo, falsi Prophetæ dicebât se missos à Deo. Secûdo, non poterant probare se missos. Tertio, semper fausta, & quæ populo grata erât, vaticinabantur. Similiter noui illi Prophetæ. Longe aliter veri Prophetæ & Apostoli. Hi non verbis tantum, sed signis & virtutibus probabant se missos: Nec quæ hominibus blanda & grata, sed quæ Deo accepta erant, annunciatabant. Vnde Paulus ad Galatas 1.10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.*

127 Secunda Ratio. Quicunque hactenus immediatè à solo Deo missi sunt ad instruendum populum in fide & religione, ita fuerunt diuinitus illustrati, & à Spiritu Sancto directi, ut nullum unquam mendacium, errorem aut falsitatem populo proposuerint: At Lutherus & Caluinus multa mendacia, errores & falsitates populo proposuerunt: Ergo non fuerunt immediate à Deo missi ad instruendum populum in fide & religione. Maior propositio patet inductione, quia Moses, Prophetæ, Apostoli, Christus nihil falso aut erroneum docuerunt. *Quod de singulis testatur Christus. De Mose, Ioan. 5. 46. Si crederetis Moysi, crederetis*

& mihi: de me enim ille scripsit. De Prophetis, Luce 24.
 25. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. De Apostolis, Ioan. 16.13. Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. De seipso, Ioan. 14.6. Ego sum via, & veritas, & vita. Et ratio est, quia constat Deum non posse mentiri aut falsum dicere. Si ergo aliquis affereret à Deo se missum esse immediate, ad docendam veritatem; & vel semel deprehenderetur mentiri aut falsum dicere, iam tota ipsius missio merito redderetur suspecta: Et prudenter iudicaremus, si in uno puncto nos deceperet, in aliis quoque posse decipere. Quod fatetur Lutherus in assertione art. 25. cum ait: Prorsus in nullo alio verbo vobis credimus, donec hoc mendacium dilueritis. Suspecti, inquam, eritis in omnibus aliis, semel deprehensi in tam crassa temeritate, &c.

128 Iam vero Lutherus & Caluinus non semel, sed saepius mentiti sunt, & falsum docuerunt. De maledicis eorum dicam sequenti conclusione. Falsitates seu errores plurimi sunt. Hi potissimum. Primo, hominem non habere usum liberi arbitrij, nec in bonis, nec in malis operibus; sed omnia, quæ sunt ab homine necessario fieri. Secundo, Deum esse authorem peccati. Tertio, Deum absolute velle, ut maior pars hominum pereat. Hos & similes errores merito detestamur. 1. quia in Deum sunt impij & blasphemæ. 2. quia hominibus horrorem ac desperationem incutunt. 3. quia tollunt è medio omnes consultationes, exhortationes, mandata, prohibitions, Iudices, Tribunalia, totam denique politiam. Nam hæc omnia frustra sunt, si nulla est libertas arbitrij in homine. Quis credat autores eiusmodi errorum à Deo ad docendum missos esse?

129 Accedunt aliæ rationes , quas obiter attingam . Prima : Lutherus à Diabolo accepit doctrinam suam de abroganda Missa : Ergo non est missus à Deo . Altera : Lutherus & Caluinus sunt inconstantes in doctrina , & multis cōtradictionibus obnoxij , vt supra ostensum est . Tertia : Vt erque affirmat , nihil credendum esse , nisi quod scriptum est in Verbo Dei : At ibi non est scriptum , eos à Deo missos esse : Ergo hoc credendum non est . Quarta : Qui malis artibus conantur suam Ecclesiam propagare , non sunt missi à Deo : Hoc faciunt Lutherani & Caluinistæ , vt ex sequentib[us] constabit : Ergo non sunt missi à Deo .

XII. CONCLVSION.

*Ecclesia Lutheranorum & Caluinistarum non est
hactenus legitime propagata.*

130 **A**Duersarij variis modis conati sunt hactenus , & adhuc conantur suā Ecclesiam propagare , & nostram euertere . Primo , mendaciis . 2. calumniis . 3. fictis visionibus & reuelationibus . 4. fictis miraculis . 5. æquiuocationibus . 6. fraudibus & imposturis . 7. falsis citationibus . 8. corruptela sacræ Scripturæ . De singulis dicam aliquid .

131 Primo igitur , vt nostram doctrinam ac religionem reddant populo suspectam & odiosam ; falso nobis hæc affingunt . Primo , quod doceamus nullum esse Deum , nullum Christum , nullam resurrectionem . (Caluinus lib . 4. institut . cap . 7. § . 27 .) Secundo , quod habeamus Christum pro fabula , vel profecto aliquo numine gentilium . (Lutherus in præfatione commentariorum Epistolæ ad Galatas ,

Anno

Anno 1538.) *Tertio*, quod relicto Christo Mediato-
re, quæramus alium Mediatorem, nempe Traditiones
humanas. (Philippus in Apologia Confessionis
Augustanæ, capite de Traditionibus humanis in Ec-
clesia.) *Quarto*, quod dicamus fidem non requiri ad
Sacramentum Pœnitentiæ. Imo, quod definiamus
esse hæresim asserere fidem esse necessariam. (Luthe-
rus de captiuitate Babylonica, cap. de Sacramento Pœ-
nitentiæ.) *Quinto*, quod doceamus cum Pelagianis ho-
minem sotis naturæ viribus sine gratia Dei, posse præ-
cepta Dei seruare, & mereri gratiam & iustificatio-
nem. (Philippus loco citato) *Sexto*, quod dicamus Pa-
pam posse dispensare contra vetus ac nouum Testa-
mentum: posse mutare substantiam Sacraementorum:
posse creare, seu aliquid ex nihilo producere. (Gabriel
Pouelus in libro de Antichristo) *Septimo*, quod nege-
mus animam esse immortalem. (Lutherus contra Am-
brosium Catharinum.) Omitto similia mendacia, quæ
prope infinita sunt.

132 Secundo, variis calumniis conantur inuidiam
nobis creare. Sparserunt annis superioribus, Iesuitas
in Belgio machinatos esse mortem Mauritio Comiti
Nassouio. Calumnia hæc, publica Magistratum &
Rerum publicarum authoritate, refutata est. Sparse-
runt, Antuerpiæ infami supplicio affectum fuisse Ie-
suitam propter enorme flagitium. Vniuersa Antuer-
pia reclamauit. Sparserunt Iesuitas Monachenses in
Bauaria, non modo stuprum virginis obtulisse, sed
atrox etiam homicidium patrasse. Serenissimi Ducis
Imperio, calumnia hæc solenni diplomate dissipata
est. Sparserunt, quatuor Iesuitas propter enormia fa-
cinora, Cracoviæ in Polonia, mandato Serenissimi Re-
gis Stephani, morti destinatos esse. Hanc fabulam ipse-
Ste

Stephanus Rex, vrgente Reuerendiss. & Illust. Principe
Vvolffgango, Archiepiscopo & Electore Moguntino,
Regiis literis ac sigillo confutauit. Sparserunt non ita
pridem, Christianissimum Galliæ ac Nauarræ Regem
Henricum Quartum, instinctu & consilio Iesuitarum,
à Sicario occisum esse. Sed fatentur ipsi, calumniam
esse. Et quid dicam cætera?

133 Tertio, fictis visionibus & reuelationibus se-
tuentur. Exemplo sint Sacraimentarij, præsertim Andreas
Carolstadius, Nicolaus Pelargus, Marcus Stubnerus, &
Thomas Muncerus, qui ut suam sectam de Sacramen-
to Eucharistiæ facilius persuaderent populo, simulabat
se habere frequentes visiones & colloquia cum Deo;
& nosse futura & secreta cordium: ideoque à Lutherò
per ironiam, cœlestes Prophetæ appellati sunt. Extat
liber Lutheri, cum hac inscriptione, *Aduersus cœlestes
Prophetas.* Porro axioma horum Prophetarum erat, *Nō
omnia ea, quæ credi oporteat, ex sc̄ ipso Dei Verbo petenda,*
sed longe excellentius ac fide dignius esse, si quis peculiarem
*aliquam reuelationem per insomnium aut visionem sibi fa-
ctam proferre possit.* Hanc enim non mortua litera, sed viua
Dei vocis manifestationem esse aiebant, eoque prætextu multis
è simplicioribus misere seducebant. Ita referunt Lutherani
in Historia Confessionis Augustanæ, pag. 46. & alibi.

134 Quarto, fictis etiam miraculis putant se doctri-
nam suam persuadere posse. Ut alia præterea, illu-
stre est, quod Caluinus Genevæ patrare voluit. Res
sic habet. Pretio conduxit quendam Brulleum nomi-
ne, ut simularet se mortuum esse. Factum est. Interea
vxor Brullei, totius rei conscientia, plorat apud ma-
riti lectulum. Accessit Caluinus, quasi aliud aëturus,
cum magno comitatu; & à foemina sciscitatus est, cur
ciularer. Respondit afflictam se esse propter mortem
mari

mariti, qui iam extinctus esset, magno rei familia-
ris incommodo. Cui Caluinus: Bono, inquit animo
esto. Et mox, flexis genibus simulat se orare, ac deinde
lectulum accedens, apprehensa manu iacentis, sic cum
affatus est: Impero tibi in nomine Iesu; ut surgas &
ambules. Nihil fit. Reperit iterum & tertio. Sed fru-
stra. Nam qui se fraudulenter mortuum simulabat,
Deo sic disponente, renata mortuus inuentus est. Nec
alia fuit vis miraculi Caluini, quam ut sanus morero-
tur. Quale miraculum, talis doctrina. Rem gestam co-
piose describit Hieronymus Bolsecus in vita Caluini
cap. 13.

135 Quinto, Utuntur etiam Aequiuocationibus ad
sectam suam stabiliendam. Ex uno disce omnes. Theo-
dorus Beza scripsit quandam Confessionem, in qua af-
feruit, Christum vere ac realiter praesentem esse in
Cœna. Addebat in eam Confessionem consentire Hel-
uetios & Geneuenses Sacramentarios. Hoc ideo fe-
cit, ut Lutheranos, qui agnoscant veram ac realem
Christi praesentiam in Eucharistia, dolo pertraheret
ad sectam Secramentariorum, quasi eadem esset ho-
rum & illorum sententia. Placuit ea res Lutheranis, &
publice ceperunt promulgare, ac sibi gratulari, quod
Sacramentarij, mutata sententia, Lutheranam doctri-
nam amplexi essent. Aegre hoc tulerunt Heluetij, &
grauerter in Bezan inuecti sunt, quod de ipsorum mu-
tata sententia falso id sparsisset. Beza ad Aequiuocatio-
nis asylum configiens respondit, se quidem vera scri-
psisse, sed à Lutheranis male fuisse intellecta. Nō enim
locutum se esse de Cœna Domini, quæ celebratur in
terrīs, (de qua tamen erat quæstio) sed de Cœna, quæ
celebratur in cœlo, vbi Christus vere & realiter præ-
sens est. Quis deinceps credat his hominibus, qui
in re

in re seria ita ludunt & decipiunt? Refert hanc historiam Claudius Sanctes in responsione ad Apologiam Bezae, & Cardinalis Bellarmin. lib. 1. de Eucharistia cap. 2.

136 Sexto, ut plurimum fraudibus & imposturis rem gerunt. Extant infinita exempla. Vnum, quod lepidum simul ac memorabile est, at texam. Lutherani nuper ediderunt Tractatum, cui titulus est, *Aca-tholicus Papatus*. Eum scripsit Iacobus Hailbrunnerus; & approbarunt Ministri ac Theologi Lipsienses, Vvittembergenses, Dresdenses, Tbingenses, Stutgardien-ses. In eo tractatu, inter cetera, conati sunt probare, Ecclesiam Romanam non esse veram Ecclesiam: idque argumento ex concessione Catholicorum de-sumpto, in hunc modum: non potest esse vera Eccle-sia sine gratia Dei: At gratia Dei iampridem recessit ab Ecclesia Romana, vt fatetur Nicolaus Lyranus in Epist. 2. ad Thessalonicenses, cap. 2. Ergo Ecclesia Ro-mana non est vera Ecclesia. Hoc argumento putabant se Catholicos posse constringere. Sed detecta est im-postura. Nam Catholici, inspecto Lyrano, innuerunt haec verba: *Gracia iam dudum recessit ab Ecclesia Romana*. Boni isti viri, pro *Gracia*, posuerunt, *Gratia*. Vbi fides, vbi candor? Miror autem vel maxime, tot Prædican-tes, tot Consistoriales, tot Theologos & Academicos Lutheranos; qui Hailbrunneri Tractatum legerunt & approbarunt, vel non notasse hanc fraudem; vel si no-tarunt, dissimulasse. In altero ignavos; in altero im-postores fuisse, necesse est.

137 Septimo, in falsis citationibus assidui sunt: quod ex duplice causa solet euenire. 1. ex inficitia. 2. ex nocendi libidine. Priori modo peccant illi, qui nec legunt authores, quos citant; nec sciunt modum, quo citare

citare eos debeant. In quorum numero est Richardus Harris, qui in libello suo de Concordia Anglicana, na, inter cæteros errores (quos notauit in Examine Concordiæ Anglicanæ) habet etiam hunc. Volebat ex iure Canonico citare Extravagantem Ioan. 22. Et cum in Sexto Decretalium habeatur huiusmodi citâdi formula, *Extravag.* Cum inter, Ioan. 22. De Verborum significâtione: Ipse ex mera ignorantia sic citauit: *Extravag.* Cum inter, pag. 22. Quasi idem esset, pag. 22. & Ioan. 22. Similèm errorem commisit quidam Batauus Caluinista in libello contra me scripto, De Aphorismis Caluinistarum, in quo citat Petrum de Aliaco, & Cameracensem, tanquam duos authores distinctos, cum sit unus idemque author, qui habet duo nomina. Dictus est enim Cameracensis, quia fuit Archiepiscopus Cameraci in Belgio. Hoc Batauus nesciuit. Posteriori modo peccant alij, qui diffisi de bonitate causæ, mala fide rem gerunt. Sic fecit Plessæus Caluinista in Tractatu de Eucharistia, in quo plusquam quadrin- gentæ falsæ citationes deprehensæ sunt. Notauit illas Episcopus Ebroicensis (nunc Cardinalis) & coram Christianissimo Rege Henrico Quarto, authorem cō- uicit. Res Orbi nota est. Simili modo peccat Hail- brunnerus, qui à nostro Iacobo Kellero de eodem cri- mine reus agitur.

138 Octauo, Vbiique corrumpunt & depravant Scri- pturam ad suas hæreses stabiendas. Et potissimum quatuor modis. 1. adiectione. 2. detractione. 3. muta- tione. 4. Falsa interpretatione. Exempla obuia sunt. Rom. 3. 28. sic legimus. *Arbitramur hominem iustificari per fidem.* Lutherus de suo adiecit, *per solam fidem.* Item 1. Corinth. 9. 5. legimus: *Nunquid non habemus potesta- tem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli?*

Luthe

Lutherus adiecit: *Mulierem circumducendi in uxorem.*
 Cui consentit Beza, qui sic habet: *An non habemus potestatem sororem Vxorem circumducendi, ut & reliqui Apostoli?* Nimirum noui isti Prophetæ, ut suam intemperantiam aliquo modo regant, conantur populo persuadere, etiā Paulum & alios Apostolos habuisse uxores, easque, quocunque irent, circumduxisse. Cum tamen Paulus ca. 7.v.8. satis clare insinuet, se coluisse virginitatem, ut etiam notauit Augustinus lib. de opere Monachorum cap.4. & plerique alij.

139. Detractionis exempla sunt hæc. Beza & plures alij omittunt totum illum versiculum, Act. 15. 41. *Præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.* Ne cogantur fateri, quod Catholici docent, Prælatos Ecclesiæ habere potestatem condendi leges aut imponendi præcepta, quibus subditi teneantur parere. Similiter 2.Petri 1.10. vbi Apostolus ait: *Sicut agite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis:* omittunt tres illas voculas, *Per bona opera.* Sunt enim osores bonorum operum, ut supra ostendi.

140. De mutatione habemus memorabile exēplum in Theodoro Beza. Nam Lucæ 22.20. vbi Græcus tex-tus habet, τὸ ποτήριον ἡμῖν διαθήκην ἐν τῷ αἷματι μου, τὸ ὑπέρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id est, *Hoc poculum nouum Testamentum est in meo sanguine,* quod pro vobis effunditur: ipse sic mutauit: ἐν τῷ αἷματι μου, τῷ ὑπέρ ὑμῶν ἐκχυνόμενῳ, id est, *Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine,* qui pro vobis effunditur. Quare hoc? Nimirum videbat Catholicos ex illo loco sic argumentari: In illo poculo quod Christus tradidit Apostolis bibendum in cœna Eucharistica, vel erat proprie & vere vinum, vel proprie & vere sanguis Christi. Non potuit proprie & vere esse vinum, quia poculum vini non est effusum

pro nostra salute. Christus autem loquitur de poculo, quod pro salute nostra effusum est. *Hoc, inquit, est poculum in meo sanguine,* (vel poculum mei sanguinis *quod pro vobis effunditur.*) Necesse ergo est in illo poculo fuisse vere & proprie sanguinem Christi. Ita Catholicæ. Beza præ desperatione, cum aliud non posset, maluit textum mutare & corrumpere, quam Catholicis consentire. Itaque pro eo, quod textus habet, *Poculum sanguinis quod effunditur,* reposuit, *Poculum sanguinis,* qui effunditur. Audax facimus.

141. Denique quod falso interpretentur Scripturam, infinitis exéplis probari posset. Vnum aut alterum accipe. Legimus Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hoc Calvinius non serio, sed ironice à Christo dictum esse valit: quasi impossibile sit seruare mandata Decalogi. Item legimus, Matth. 26. 28. *Hic est Sanguis meus.* Multi Calvinistæ sic explicant: Hoc vinum significat Sanguinem meum. At Plessæus sic: Hęc est acerba mors, quam pro vobis sustinebo. Vt ratiōne prauè. Denique Act. 2. 27. legimus: *Non derelinques animam meam in inferno.* Quod Beza sic interpretatur: Non derelinques cadauer meum in sepulchro. Omitto similia.

142. Ex dictis colligitur discrimen inter Apostolos ex una parte, & inter Lutheranos, & Calvinistas ex altera. Nam Apostoli, ut supra ostensum est, propagarunt suam doctrinam virtutibus, signis & miraculis. Et in eo imitati sunt exemplum Christi, qui similiter fecit. At Lutherani & Calvinistæ propagant suam doctrinam mendaciis, calumniis, fictis visionibus & miraculis, æquiuocationibus, fraudibus & imposturis, falsis citationibus, corruptelis Scripturæ. In quo non imitantur exemplum Christi, sed Diaboli, qui omnium menda

mendaciorum, calumniarum, & similiū malarum
artium author est.


E P I L O G V S.


EX hoc Tractatu de Ecclesia percipiunt Catholici magnam consolationem & securitatem in negotio religionis: Aduersarij è contrario, confusionem & diffidentiam. Nam Catholici cum Augustino sequuntur hanc certam & fixam regulam: *Tota Ecclesia non potest errare in fide.* Vnde inferunt, securos esse, qui publice profitentur id, quod tota Ecclesia profitetur. Aduersarij tenent contrariam hanc regulam: *Tota Ecclesia potest errare in fide.* Ex qua sequitur, totam ipsorum Ecclesiam errare posse; ac proinde etiam Lutherum, Caluinum, & alios Ministros, qui sunt in ipsorum Ecclesia. Neminem igitur tutum ac securum esse de sua fide, qui illos sequitur. Sequitur enim eos, qui in fide errare possunt.

Videat nunc prudens Lector, vtra regula plus momenti habeat. Regula Catholicorum habet pro se testes omni exceptione maiores. Habet promissionem Christi, *Porta inferi non prænalebunt aduersus eam.* Habet testimonium Apostoli, *Ecclesia est columnæ & firmamentum veritatis.* Habet consensum Orbis Christiani. Habet quotidiana miracula. Habet viros sanctitate, continentia, authoritate conspicuos. His omnibus constituti sunt aduersarij. Nulla apud eos miracula: nulla sanctitatis effigies. Vigiliae & ieunia exulant. Castitas, probro est. Malæ artes dominantur.

F I N I S.














3
2
1
0
9
8
7
6
5
4
3
2
1
0

